UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani, Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis, Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non Problematicae Disquisitiones ... Volumen ...

Triplex Statvs; Ecclesiasticvs, Religiosus, & Sæcularis

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lugduni, 1663**

Liber LVIII. Professio Religiosa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-80707

Visual Library

## LIBER LVIII.

# PROFESSIO RELIGIOSA.

*QVAENAM ad Profeſsionis Religioſæ requirantur, expedio. Ad quid Religioſus vi ſuæ Profeſsionis teneatur, enuncio. Qualis ſit Religioſi ex vitium Votorum obligatio, expono.*

## *SECTIO PRIMA.*

## De Profeſsione Religioſa Receptiores ſine lite Sententiæ.

### CAPVT I.

### *Quænam requirantur ad Profeſsionis Religioſæ valorem?*

1 *Prima conditio ad profeſsionis valorem requiſita, ætas & annus probationis.* AD Profeſsionis Regularis valorem tres conditiones requiruntur. Prima eſt vouentis aptitudo, ſcilicet, vt decimum ſextum ætatis expleuerit annum, integrum annum Religioſo habitu indutus, in probatione vixerit, nullumque habeat impedimentum, quod per ſtatuta à ſummo Præſule confirmata in Ordine illo ſubſtantiale eſſe cenſeatur. Azor. *tom.* 1. *l.* 12. *c.* 2. *q.* 6. & 7. Rodriguez *tom.* 2. *ſum. cap.* 6. & alij communiter.

2 *Conditio ſecunda, Prælati acceptatio.* Secũda eſt, cõſenſus, aut acceptatio expreſſa, vel tacita Prælati Ordinis, quia per hanc Religioni quis debet incorporari. Idque ordinariè, non tantum cum conſilio, ſed etiam cum conſenſu Capituli, aut maioris ac principalioris partis, iuxta cuiuſcumque Ordinis ſtatuta. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 7. Nauar. quem affert, ac ſequitur Buſemb. *l.* 4. *c.* 1. *dub.* 2.

3 *Tertia conditio, vt ſit ſponte facta.* Tertia, vt profeſsio ſit ſponte facta non cogente graui metu, qualis eſſet incarceratio, ſubtractio alimentorum, eo quod in profeſſionem quis conſentire noluerit: Itemque metus reuerentialis, non quidem ſe ſolo, ſed accedente precum, banditiarum, ac imperij ſæpius repetita importunitate, aut graui offenſione, aut diu continuata indignatione conſanguineorum, adiunctis etiam minis de ſubſidiis negandis, ſi ex Religione egrediatur. porrò ſingula hæc, vel ſimul ſumpta, conſiderata conditione hominis rudis, timidi, &c. metum iuſtum poſſunt incutere, & profeſsionem irritare. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 43. *dub. ſecund.* Layman. *l.* 4. *tract. quinto capit.* 5.

Qui profeſsionem irritam ex defectu alicuius præfatæ conditionis expreſsit, niſi eam poſtmodum tacitè vel expreſsè ratificauerit, egredi Religionem, & vxorem ducere poteſt. Attamen ob ſcandali euitationem causã egreſsus exprimere debet: & ſi ad forum externũ cauſa deferatur, defectum profeſsionis probare, idque intra quinquennium à profeſsionis die, poſt illud enim audiendus non eſt. Quia præſumitur eam interea ratificaſſe. Trindent. *ſeſ.* 25. *c.* 19. At ſi ſciret, illã iuris præſumptionem falſam eſſe, eo quod ignorans impedimentum, vel metu graui, aliaue iuſta cauſa impeditus, intra quinquennium non potuerit reclamare: vel impedimentum ſit eſſentiale, ac perpetuum, aut ſaltem vltra quinquennium duret: eo elapſo, poterit reclamare debetque in iudicio ſaltem extraordinario audiri, vel in integrum reſtitui Sanchez *lib.* 6. *Decalog. d.* 37. *numer.* 22. Leſ. *lib. ſecund. capite.* 41. *dub.* 7. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 4. *q. vlt.* Diana *p.* 3. *tr.* 2. *reſolut.* 53. Barboſ. *ad Trid. ſeſ.* 25. *c.* 19. *num.* 8. plures citans. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 5. addens, niſi aliud quid impediat, fugere poſſe. Quod ſi fuga ſine graui ſcãdalo, vel incõmodo tentari non poſset, monendũ eſſe à Confeſſario, vt profeſsionem tacitè ratificet. Quod fiet ſi profeſsorũ habitũ proprium deferat, actuſque iis proprios exerceat, cum intentione, quod profeſſus talis Ordinis eſſe velit. Diana *p.* 8. *tr.* 7. *reſol.* 51. Vbi ex Trident. *ſeſ.* 25. *c.* 19. oſtendit, Epiſcopum de nullitate profeſsionis ſine interuentione ſuperioris Regularis ſententiam ferre non poſſe, & ſi faciat, fore nullam. 4 *De eo, qui ex defectu alicuius præfatæ conditionis profeſsionẽ irritam geſſit.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

## CAPVT II.

### *De iis, ad quæ Religioſus ſuæ profeſſionis vi tenetur.*

5 *Religioſus vi profeſſionis tenetur perfectioni ſtudere.*

RELIGIOSVS profeſſionis vi tenetur aliquo modo perfectionis progredi in via, quia ex vi profeſſionis obligatur, velle ſuum ſtatum, qui eſt perfectionis, ſeu ad perfectionem tendentium ſeruare, (licet ſecundùm ſe præcepti non ſit ſed conſilij. Hoc autem eſt, intrinſece velle ad perfectionem tendere. D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *a.* 1. *& ſecund. & q.* 184. *art.* 5. Suar. *de Relig. tom.* 4. *l.* 1. *cap.* 4. Bard. *de conſ. d.* 7. *cap.* 6 *paragrapho quinto* Layman. *lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 1. *n.* 1.

6 *Hoc vberius ſpeciatim expēdo*

Hanc itaque obligationem expendo. Non tenetur actu eſſe perfectus, ſed tantùm perfectioni ſtudere. Tenetur autem ad perfectionem tendere per media eſſentialia, per vota, per auxilia ſecundaria non contemnendo ea. Aliquibus mediis vti ex præfatis, quia ſi omnia abiiciat in ſtatu ſalutis ineſſe non videtur. Tenetur aliqua opera bona præſtare ſupererogationis, ſiuè ſpecialiter non præcepta, nec promiſſa, quia aliàs moraliter loquendo, haud poteſt debitā ſalutis intentionem habere. Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 1. *cap.* 4. Porrò ad huiuſmodi perfectionem debet tendere per media ſuæ Religionis non per alia. Hoc eſt, ſuas Regulas aſſeruando. Sanchez *libro ſexto Decalog. capite quinto numero* 1. *&* 2.

7 *Profeſſus poteſt tripliciter contra ſtatum delinquere.*

Peccat autem profeſſus primo per Regulæ contemptum, id eſt, ſi nolit ſubiici. Secundo, ſi ſolùm velit obſeruare, quæ ſub lethali obligant, quia perfectionem proculdubio contemnit. Tertiò, per actum directè contrarium, hoc eſt nolendo perfectioni ſtudere. Quod mortale quidem eſt Sanchez *lib.* 6. *Decalog. cap.* 5. *n.* 6. 7. *&* 10. Bardi *de conſ. d.* 7. *c.* 6. §. 5.

8 *Lethale eſt intendere, nunquam ſeruare Regulam.*

Qui intendit nunquam ſeruare Regulam, etiamſi facilè poſſit, lethaliter delinquit, (ſecus autem, qui ſolum circa eius obſeruationem ſeſe ſolicitum non præſtat) quia ſaltem non habere proximam diſpoſitionem ad regulam ſeruandam, formalem arguit contemptum Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 1. *c.* 4. *n.* 24. At ſi ex animi remiſſione, & ſine vllo iuſto titulo per directam intentionem velit aliquam Regulam non ſeruare erit veniale, quia leuis contemptus. Suar. *ibid.*

9 *Violare Regulam ex conſuetudine, mortale eſt.*

Ex conſuetudine Regulam violare, lethale eſt, quia qui ſic ſe gerit, Regularem diſciplinam perturbat: conſtituitque ſe in eo ſtatu, vt velut incorrigibilis ſit expellendus: tenetur autem quiſque ratione votorum quibus ſe Religioni addixit, ita ſe gerere, vt ſit tolerabilis, & expelli non mereatur. At qui, nullum conatum ad perfectionem adhibendo Regulas ſine diſcrimine tranſgreditur reddit ſe intolerabilem, vt debeat expelli, aut ſi tole-retur, plurimum prauo nocet exemplo. Ergò per accidens & indirectè agit contra profeſſionem, & lethaliter delinquit Sanch. *l.* 6. *Decalog. capit.* 4. *numer.* 18. Laym. *l.* 4 *tr. quinto cap.* 9.

10 *Qui de induſtria prauis moribus extorquet è Societate Ieſu dimiſſionē non eſt liber à votis.*

Porro noſtræ Societatis Ieſu Scholaſticus vel coadiutor temporalis, vel ſpiritualis, qui de induſtria prauis moribus dimiſſionem extorquet, non eſt liber a votis ſimplicibus, quos poſt vnum & alterum probationis annum emiſit. Leſ. *l.* 2. *c.* 40. *dub.* 15. Sanch. *l.* 6 *Decal. c.* 9. *n.* 99. Laym. *l.* 4. *tractat. quint. capite* 9 *num.* 14.

11 *Peccat mortaliter, ſi non adhibet diligentiam, in vitandis defectibus ob quos ſe dimittendū præuidet.*

Præterea Religioſus ſocietatis, qui non adhibet diligentiam ad cauendos defectus, ob quos ſe dimittendum præuidet, Et licet ita dimiſſus ſit, liber ſit in conſcientia. ſi tamen ſit dimiſſus ob fraudem, vel peccata in eum patrata finem, irrita eſt dimiſſio, vtpote obtēta per dolum dantem ipſi cauſam (ſicut in matrimonio, & cæteris contractibus.) Vnde ſubiacet apoſtatarum pœnis Bonac. *de clauſ. q.* 2. *pun.* 13. §. 1.

## CAPVT III.

### *De Paupertatis voto.*

12 *Ad quid Religioſus ex paupertatis voto obligatur.*

NIHIL proprium habere Religioſus ex paupertatis voto obligatur. Nomine proprij intelligo temporaria bona pretio æſtimabilia, quorum dominium, vel diſponendi facultatem liberam, ac independentem in perpetuū abdicauit *Cap. Non dicatis* 12. *q.* 1. *Cap. Monachi.* Dixi *Temporaria bona*: retinet namque bonorum ſpiritualium honoris, famæ Dominium, ius eligendi, præſentandi, conferēdi Regulare beneficium, &c. D. Tho. 2. 2. *q.* 166. *a.* 7. Sanch. *dub.* 5. Layn. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 7. Dixi, *Dominium, vel facultatem diſponendi.* propter noſtræ Societatis Ieſu Religioſos, qui poſt vota emiſſa, retinent & acquirere poſſunt dominium radicale bonorum temporalium: nō tamen habent ius actuale de iis, pro ſuo arbitrio diſponendi, vel vtendi, in cuius abdicatione paupertatis Religioſæ eſſentia conſiſtit. Addidi, *Independenter*, quia Religioſus etiam profeſſus poteſt habere peculium dependens, ac reuocabile ad ſuperioris nutum, quod nomine proprij non comprehēditur. Sanchez, & Layman. *vbi ſuprà.*

13 *Quæ paupertatis voto non repugnent, annotō.*

Vnde elicio, non repugnare paupertatis voto, Religioſos habere bona in communi etiam immobilia Et ſine Papæ conſenſu non poſſunt ſe obligare communitati, quod ea nū quā ſint acquiſituri. Quia immunitati Eccleſiaſticæ planè præiudicarent. Card. Lugo *Reſp. Mor. l.* 3. *dub.* 8. Nec poſſunt fructus, ſeu reditus à donatore ad ea emenda deſtinatos, ad vſus alios, verbi gratia ad debita ſoluenda applicare. Lugo. *ibi.* Nec repugnare, ſi Religioſo detur villa, vel alius locus adminiſtrādus Monaſterij nomine idque in Monaſterij cōmodū. Imò ſi detur in commodū ipſius Religioſi aliquod Eccleſiaſti-

cū beneficiū Quo caſu ad eum pertinet redituum adminiſtratio, quos ad ſui ſuſtentationē piaſque cauſas poteſt applicare; quod reliquum erit, pertinet ad Eccleſiam, vel beneficium, cui ſeruiuit. Donationes verò de reditibus beneficij factæ ab eo in vſu non pios, ſunt inualidæ, ac contra iuſtitiam, neque accipientes non poſſunt eas tuta conſciētia retinere. Suar. & Molin. quos citat, & ſequitur Buſembaum *l.4.c.1.dub.4* Ad Monaſterium vero pertinent omnia alia, quæ aliunde, quam ex beneficio acquiruntur, niſi ex conſuetudine Eccleſiæ cedant Azor. *to. 1.l.12.cap.10.q.6.& 7.* Molin. *d.* 276. Layman. *l.4 tr.5.c.7.n.12.*

*Qu modo contra paupertatis votum delinquatur.*

14 Delinquit verò contra paupertatis votum, ſi quid ſiue domi, ſiue foris, etiam ex iis, quæ ad victum, ac veſtitum attinent, ſine ſuperioris conſenſu expreſſo, tacito, vel præſumpto, accipiat, retineat, abſumat, permutet, donet alteri, vel accommodet. Dixi *ſine conſenſu tacito.* Nam ſi Prælatus ſciat, ſubditum aliquid accipere, retinere, vel expendere, & non prohibet, cum facile poſſit, tacitè conſentire videtur. Vnde ſi in Religione aliqua viget conſuetudo recipiendi, vel expendendi ſine ſuperioris facultate, id per tacitam approbationem Prælati, qui id tolerando, conſuetudinem rationabiliter vigere declarat. Et ſi Prælatus ſubdito donet, vel donari permittat imagines, roſaria, &c. Sciens iis omnibus ad proprium vſum non indigere, tacitè facultatem concedere cenſetur aliis donandi. Talem autem conſenſum niſi in rebus paruis & crebro occurrentibus non præſumerem. Addidi, *Vel præſumpto.* Hic enim locum habet, cum res vrget, ſuperiorque præſens non eſt. Excuſaris vero à mortali, ſi præſumas ex ſuperioris affectu, rem conceſſurum, ſi à te rogaretur, quia tunc cenſeris, rem ex voluntate ſuperioris ſaltem virtuali, quæ in illo affectu latet, habere. Ideoque ſi ſuperior tantum ſit inuitus quoad modum, venialiter quidem deliquiſti, non tamen contra paupertatem. Suar. *tom. 4. de Relig l.8.cap.* 11. Sanch. *l.7. Decal.c.29. numero* 53. Layman. *l. 4. tract. 5. capite ſeptimo numer.* 6. Leſſi. *l. 2. capite* 41. *num.* 79.

*Peccat qui in alium vſum expēdit, vel culpabiliter perdit quæ ei data sūt ad vſum.*

15 Religioſus in alium vſum expendens, aut deſtruens, aut culpabiliter amittens ea, quæ data ei ſunt ad vſum proprium, contra votum paupertatis delinquit, quia in his tantum habet vſum facti, idque precario quandiu ſuperiori videbitur: eſtque dominij actus poſſe rem ſuo arbitratu deſtruere. Sanchez. *lib ſeptim. Decalog cap.* 29. Layman. *lib* 4. *tract. quinto capite ſeptimo numero ſexto* Leſ. *lib. ſecund. cap.* 41 *n.*79.

*Et aliquid abſcondit vt Prælati di poſitionis ſubducat.*

16 Peccat, ſi quip abſcondat, vt id liberæ Prælati diſpoſitioni ſubducat. Nec Procuratores, Oeconomi, Adminiſtratores, Prælati inferiores quidquam poſſunt expendere præterquam quod Ordinis Regula, ſuperioris voluntas, vel conſuetudo poſtulat. Quia non ſunt domini bonorum communium, ſed ſolum adminiſtratores. Layman. *libro quarto tract. quint. capite ſeptim. numer.* 9. ex Diu. Thom.

*Et qui in prauos vſus expendit etiamſi à Prælato licentiam acceperit.*

17 Demùm ſi Prælatus ſubdito permittat, vt bona ex quacumque cauſa, aut titulo prouenientia vanos, turpes, vel illicitos expendat in vſus: aut ſuperflua pretioſa & ſtatum non decentia penes ſe habeat: peccat & Prælatus, & ſubditus contra paupertatis votum, eſtque talis donatio, ſeu alienatio irrita, ac reſtitutioni obnoxia, quia Prælatus non poteſt dare veniam maiorem ei quam ipſe habet: ipſe autem cum dominus non ſit, non poteſt bono ſuo arbitratu & inutiliter expendere; ſed tantum in Religionis neceſſitatem, & vtilitatem. Leſſius *libro ſecund. capite* 41. *dubio* 9. Molina *tom. ſecund. diſput.* 276. Lugo *de inſt. d.* 3. *ſectio. ſeptima numero* 131.

## CAPVT IV.

### *De voto Caſtitatis.*

*Ad quid Religioſus è caſtitatis voto teneatur.*

18 EX Caſtitatis voto Religioſus tenetur in primis, coniugio abſtinere, Deinde ab omni interno, & externo actu, qui ſit contra caſtitatem, vt à turpibus cogitationibus, ac delectatione moroſa, à pollutione, ab omni actu venereo, à turpi contractu, ab impudico aſpectu: & ab omnibus iis, quæ aliquo modo contra virtutem caſtitatis exiſtant, quidquid enim in ſæcularibus extra coniugium eſt aliquo modo contra caſtitatem peccatum, eſt in Religioſo Sacrilegium contra votum; ac proindè duplicem habet malitiam ita tamen vt malitia ſacrilegij mortalis ſit in iis actibus in quibus libidinis malitia ſit lethalis; venialis autem, in quibus illa venialis eſt. Sanchez *l. 5. Decal.c.6.num* 9. Suar. *to.1. de Relig. l.3.c.3.* Laym. *l.4. tract. quinto capite octauo numero primo*

*Quæ iuuāt ad hoc votū ſeruādum.*

19 Profectò quia difficile eſt, Religioſo, qui cōiugio non poteſt poſt vota emiſſa colligari, vt licitis voluptatibus potiatur, caſtitatem ſeruare, à Doctoribus monetur, vt octo mediis efficacibus quidem ad tutelam eius vtatur. Primum eſt humilitas, vt noſtra fragilitate cognita ad Deum recurramus, iuxta illud *Sap.* 8. Scio, quod non poſſum eſſe continens niſi Deus dederit mihi. Secundum ſobrietas Vnde Herony *Difficilè ſeruatur inter epulas pudicitia.* Tertium, carnis mortificatio. 1. *Cor.* 9. *Caſtigo corpus meum.* Quartum, ſēſuum cuſtodia *Eccl.* 9. *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias mulierem alienam; propter ſpeciem enim mulieris multi perierunt.* Quintum, Occaſionum declinatio, ſante Paulo, *Fugite fornicationem* Sextum, Virilis tentationum reſiſtentia, qua dæmonis ſuggeſtiones repellimus. *prim. Petr. quint. Cui reſiſtite fortes in fide* Septimum, feruens Dei dilectio, qua amariſsimam voluptatum delectationem facillè deſpicien us, quia *guſtato ſpiritu, deſipit omnis caro* Octauum mortis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mortis meditatio, & conſideratio ignis æterni. O quam ſtultum, pro breui voluptate, æterna, ſupplicia ſuſtinere?

## CAPVT V.

### *De voto Obedientiæ.*

20 *Ex Obedientiæ voto Religioſus ad plura tenetur.*

EX Obedientiæ voto Religioſus ad plura tenetur. Primò, ad Regulæ præcepta. Secundò, ad non agendum contra Regulam, aut mandatum ſuperioris ex contemptu; cenſetur verò, ex contẽptu violare, qui contra facit non ex negligentia, & cupiditate, ſed quia non vult Regulæ, aut ſuperiori eſſe ſubiectus. Leſſi. *l.* 2.*c.* 41. *dub* 9.*n.*74. D.Tho. 2.2.*q* 186.*a.*9. Caiet. & Sylu. *ibi.* Tertiò ad omnia, quæ ſuperior iuxta Regulã, aut inſtitutum præcipit. Et quidem ſi in virtute Sanctæ Obedientiæ imperet, ſub mortali debet obedire: ſi vero hac præcipiendi forma non vtatur non videtur velle ſub lethali obligare, niſi aliunde conſtet. Sanch. *l.*6. *Moral c.*2.*n.*8. Vaſq. 1.2.*d.*154.*c.*4.*n.*20. Quartò, ſi ſuperior præcipiat aliqua contra Regulam, non tenetur ſubditus obtemperare, niſi forte ille poſſit fortaſsè in ea parte Regulæ diſpenſare, & legitima cauſa contrarium præcipiendi ſubſit. Caiet. 2.2.*q.* 104. *a.*5. Quintò ſi ſuperior percipiat aliquid ſuprà Regulam vt ire ad infideles, vbi manifeſtum mortis, vel ſeruitutis adeſt, longo tempore ieiunare, à carnibus ad vnum vel duos menſes abſtinere: haud tenetur inferior obedire, quia ſuperiori poteſtas datur, vt ſubditos ſecundum Regulam perficiat, non vt ad maiora obliget, D.Tho. 2.2.*q.* 104 *a.*5.*ad* 3. Nauar. *ſum.c.*23.*n.*39. Manu. *to.*2.*ſum.c.*9.*n.*1. Azor. *to.*1.*l.*13.*c.*11.*q.*19. Porro licet hæc & ſimilia imponi nequeãt ad virtutis exercitamentum, poſſunt tamen ad alicuius criminis pœnam imperari. Vel ſi puientur neceſſaria ad vota ſeruanda. Sic Monialibus arctiſſima clauſura præcipitur, etiamſi eam antea non vouiſſent.

Item ob aliquã publicam neceſſitatem quædam auſteriora poſſunt omnibus ad tempus imponi, quia & hoc eſt Regulæ conſentaneum. Corduba *in Reg. S. Franc. c.* 10.*q.*2. Sylueſt. *v. Religio* 6.*q.*6. Sylu. 2.2. *q.* 104. *art.*5. Caramu. *in Reg. S. Bened. d.* 50. *&* 51.

Scandalo ceſſante, non tenetur Religioſus obedire, quando ſuperioris præceptũ fundatur in falſa præsũptione: vt ſi Religioſo imponatur pœna pro delicto quod vere non patrauit, ſi ea pœna ſit ſecreto exequenda, ſubditus ad eam nõ tenetur; ſi vero in publico, obligatur ob aliorum exemplum, quia in priori caſu pœna non imponitur ad aliorum exemplum, ſed ad propriam correctionem, qua innocens non indiget. Vaſq. 1.2.*q.*96.*a* 5.*d.*174.*c. vlt.* Sanch. *l.*6. *Decal.c.*2.*n.*11. 21 *Obedire, non tenetur quãdo præceptum in falſa præſumptione fundatur.*

Si dubitet ſubditus, num res præcepta ſit licita, obedire tenetur, maximè ſi obediendo, ſibi, vel tertiæ perſonæ magnum damnum in rebus, honore vel fama, aut corpore non timeat. Alias in hiſce caſibus non teneretur in dubio obedire: Vt ſi ſuperior interroget de proprio, vel tertij delicto, & eſt dubium, an iuridice roget: tunc in eam partem inclinandum eſt, in qua minus damni, ac periculi apparet, & ea eſt amplectenda, ac proinde non obediendum. Tùm quia maius eſt periculum illud imminens, quam ſemel non obedire. Tùm quia in dubio fauendum eſt reo, & ei, de cuius damno agitur: etſi enim ſubditus non eſt in poſseſsione ſuæ libertatis, eſt tamẽ in poſseſsione ſuæ ſecuritatis, ſeu iuris, quo poſsit ſe rebus periculoſis conſeruare. Vnde non tenetur, in ea ſe coniicere, niſi conſtet, ſuperiorem iuſte præcipere, ſimiliter ſi Prælatus tibi præcipiat longum agere iter aut rem valde difficilem inire, vt longam abſtinentiam, vel aliud opus valde auſterum, & tunc dubites, an poſsit ſuperior, id tibi imperare, non teneris cum tanto incommodo ſtatim obedire, donec conſtet tibi de iure præcipiendi, quia tanta rei difficultas vna cum dubio poteſtatis imperandi, præponderat poſſeſsioni ſuperioris, & fauet potius ſubditi libertati. Medina 1.2.*q.*19. *a.*6 *dub* 4. Manu. *p.* 2.*ſum.c.*9.*n.*3. Diana *p.*4.*tr.*3.*reſol.*9. Sotus *de ſecreto, memb.*3.*q.*2. 22 *Quid ſi dubitet, rem præceptam eſſe licitam.*

## SECTIO SECVNDA.

## De Profeſſione Religioſa Dubia.

### CAPVT VI.

### *Circa Religioſi ſuſceptionem ſtatus per Profeſſionem.*

#### DVBIVM I.

*Si Profeſſio fiat ſub conditione honeſta de futuro, requiriturne nouus conſenſus, conditione purgata?*

23 *Nonnulla præmitto.* PRæmitto, profeſſionem Religioſum ſtatum conſtituentem duplicem eſſe, tacitam ſcilicet, & expreſſam. *Capite Religioſi de ſentent. excomm.* Tacita iure antiquo duplici via inducebatur, nempe geſtatione habitus profeſſorum, vel alicuius actus profeſſorum exercitio. Expreſſa fit quomodocumque conſenſus ſiue verbo, ſiue ſcripto, ſiue nutibus declaretur. Porro ſi profeſſio fiat ſub conditione repugnante obſeruationi paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, (traditione enim tria hæc vota continente debet neceſſariò profeſſio fieri) ea in Religione præſcriptæ, profeſſio non tenet. Quæſierim vero, an ſi fiat ſub conditione honeſta, (id eſt, non repugnante) de futuro, requiratur nouus conſenſus, conditione purgata? ex. gr. in Religione approbata, & in manu legitimi Prælati promittis caſtitatem, paupertatem, & obedientiam, ſi tuus pater conſenſum præſtiterit, conſentit pater: valetne profeſſio?

24 *Nouus conſenſus non requiritur.* Valet equidem, nec nouus conſenſus requiritur. Quia conſenſus præcedens conditionalis, purificata conditione, tranſit in abſolutum, & abſolutam inducit obligationem. Sic Sanchez *l. 5. Decalog. cap. 4. n. 88.* & plures de matrimonio loquentes, quos ipſe refert, ac ſequitur *l. 6. de matrim. d. 8. num. 4 & 10.*

25 *Requiritur nouus conſenſus.* Non valet, ſed debet nouus conſenſus accedere. Quia ad profeſſionem neceſſarius eſt cõ ẽſus quo profeſſus ſe Religioni tradat: ſed conſenſus ſub conditione de futuro non eſt huiuſmodi, quippe non eſt conſenſus in traditionem præſentem, ſed in futuram pendentem, ſcilicet à conditione: Ergo non poteſt eſſe conſenſus ad profeſſionem ſufficiens. Ita plures Doctores, quos refert, ac ſequitur Gutier. *l. 3. cano. qq. de matrim. capit. 13. & 14* Expreſſe Suar. *tom. 3. de Relig l. 6 cap. 12. à num. 18.*

Idem cenſeo. Exiſtimo enim talem profeſſionem non eſſe profeſſionem abſolute appellandam, ſed votum ſimplex profeſſionem emittendi, impleta conditione. 26 *Idem cenſeo.*

#### DVBIVM II.

*Profeſſio tacita induciturne ex vſu, & exercitio actuum profeſſorum?*

INnui *Dub. 1.* fieri (ex communi ſententia) profeſſionem tacitam, exercitio alicuius actus profeſſorum, quod quidem ad trutinam refero, requirens, an vere inducatur tacita profeſſio ex huiuſmodi actus profeſſorum exercitamento? 27 *Quæſtionis ſtatus.*

Inducitur quidem, Quia *C. Vidua de Regul.* vidua ſponte ſuſcipiens conuerſionis velum quamuis non ſacrum, & in Eccleſia offerens oblationem. quam aliæ virgines velatæ, & ſacratę offerebant, coacta fuit, perſeuerare: Ergo ex ſolo exercitio actu abſq; habitus ſuſceptione profeſſorum, profeſſio inducebatur. Certè ſi habitus profeſſorũ geſtatio (vti innui Dub. 1.) ſufficiens eſt ad profeſſionẽ tacitam inducẽdam, cur non erit actus profeſſorum exercitamentum, cum non minus efficax ſignum ſit actus, quam habitus. Sic Sylu. *v. Relig. 3. q. 19.* Az *p. 1. l. 12. c. 4 q. 3.* Sanch. *l. 5. Dec. c. 3. n. 20* & alij à Sylueſtro relati. Addidi, *Abſque ſuſceptione habitus profeſſorum*, nam ſuſcipere nouitiorum habitum antea neceſſarium erat omnino ex *Cap. Vidua.* Ne ſcilicet præſumatur, eum actum profeſſorum exercentem potius eſſe iuriſdictionis alienæ vſurpatorem, quam verum profeſſorem Religionis. 28 *Inducitur planè.*

Minimè inducitur profeſſio tacita ex vſu & exercitio actus profeſſorum abſque habitus eorumdem ſaltem communis delatione. Quia profeſſio tacita induci non poteſt niſi ex ſignis à iure ſtatutis, nam eſt præſumptio iuris, & nullibi ius ſtatuit exercitium actus profeſſorum cum nouitiorum habitu à profeſſorum indumentis diſtinctio eſſe profeſſionis ſignũ. Ita Suar. *tom. 3. de Relig l. 6 c. 19. à n. 6.* Palao *tom. 3. d. 2. de ſtatu Relig punct. 1. num. 7.* 29 *Non inducitur.*

Scio, primam ſententiam communem eſſe ſatiſque probabilem. At probabiliorem reor eſſe ſecundam. Nec enim contrarium ex *Cap Vidua* citato colligitur. Poterat namque velum illud eſſe non ſacrum, quia 30 *Hæc mihi amplius placet opinio.*

non

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

non erat velum virginum, quod bene dici ſolebat bene tamen viduarum profeſſarum quod carebit benedictione. Verum qui geſtans profeſsorum habitum addiderit actus profeſſis proprios in ætate pubere, profeſſionem tacitam proculdubio inducet.

---

## DVBIVM III.

*Vt actus profeſſorum exercitaito inducat Profeſſionem tacitam: requiriturne triduana ſaltem in eo perſeuerantia?*

31 *Requiritur quidem.* REquiritur quidē, quia in *Cap. conſtitutionem in 6.* expreſse dicitur triduanam perſeuerantiam in delatione habitus profeſſorum neceſsariam eſſe ad inducendam tacitam profeſſionem, & cum nullam exceptionem fecerit exercitij actuum profeſſorum, ab illa debemus abſtinere. Neque obſtat in *Cap. Vidua* videri eſſe factam exceptionem; quia ille textus antiquior eſt, & conſequenter per textum in *Cap. Conſtitutionem* cenſebitur limitatus: & quia non de ſolemni profeſſione, ſed de voto ſimplici caſtitatis videtur intelligi. Sic Suar. *tomo tertio de Relig. libro ſexto capite* 19. *numer.* 14.

32 *Non requiritur.* Non requiritur, ſed ſufficit aſſumptio habitus cum exercitio actus profeſsorum, quia ſola triduana delatio habitus profeſsorum in anno nouitiatus abſque vllo profeſſorum actu tacitam profeſsionem inducit. Ergo ex actu profeſsorū nulla ſpecialis præſumptio inducitur, ſi in actu profeſſorum cum delatione habitus profeſſi tridua perſeuerantia requiratur. At communis ſententia defendit, induci tacitam profeſsionem profeſsorum actu: Ergò induci debet ſine triduana habitus profeſſorū delatione. Ita Sanchez *lib. quinto* Decalog. *cap.* 3. *num.* 21. Leſſius *lib. ſecund. cap.* 41. *dub.* 7. *num.* 47. Layman. *lib.* 4. *tr.* 5. *capite* 5 *in princ.*

33 *Verius hoc eſse reor.* Verius hoc eſſe reor. Licet enim in *Cap. Conſtitutionem* generaliter dictum ſit, requiri habitus profeſsorum per triduum delationem, hoc eſt intelligendum, abſque exercitio actuum profeſsorum; vt ſic iura iuribus conforment. Igitur aſsumptionem habitus cum exercitio actus profeſsorum, licet non adſit triduana perſeuerantia, ad profeſſionem tacitam conſtituendam ſufficientem eſse defendo.

---

## DVBIVM IV.

*Qui Religionem ingreſſurus in re aliqua graui accidentali decepit: poteſtne expelli, poſt emiſſam profeſſionem?*

34 *Certum eſt.* CErtum eſt inualidam eſse profeſſionem ante decimum ſextum ætatis annum expletum emiſsam. Trident. *ſeſ.* 25. *capite* 15. Item metu cadente in conſtantem virum factam. Si enim hic metus profeſsuro incutiatur, omnes Doctores ſentiunt irritam reddi profeſsionem ſaltem iure Eccleſiaſtico; quia ſic ſupponitur conſuetudine introductum in *Cap.* 1. *De iis, quæ vi*, vbi fœmina ex metu profeſſionē emittens, non cōpellitur in profeſſione perſeuerare. Inualida etiam erit profeſſio, ſi ex parte Prælati error ſit in perſona admiſſa, aut in conditionib. ſubſtantialib. requiſitis. Ex ſolo autem errore in accidentalibus, irrita non redditur. Vnde elicio, non eſse irritam profeſsionem tacentis morbum contagioſum, quo declarato, non reciperetur, quia cum hic morbus neque ex iure, neque ex ſpeciali conſtitutione Religionis (vt ſuppono) profeſsionem annullet, eius ignorantia vel error in admittente ad errorem in accidentibus, non in ſubſtantia pertinet. Sanchez *l.* 5. *Decalog. c.* 4. *num.* 57. Quæſierim autem, an ſic admiſsus expelli è Religione poſsit?

35 *Poteſt expelli.* Poteſt quidem expelli, quia in eiuſmodi vitij taciturnitate grauis in Religionem ipſam culpa commiſsa fuit, quæ merito poteſt expulſione vindicari. Sic Nauar. *l.* 3. *conſil. tit. de Regularib. conſ.* 25. *aliàs* 48. *n.* 2. & 3. Sanchez *l.* 7. *de matr. d.* 37. *n.* 53. Sà *v. Religio, n.* 34.

36 *Expelli non poteſt.* Expelli non poteſt, quia non videtur res adeò grauis eſse, vt eius cauſa expulſio à Religione ſupplicium plane grauiſsimum, valeat infligi. Ita Manu. *tom.* 2. *ſum. c.* 6. *num.* 3. & *to.* 3 *qq. Regul. q.* 17. *a.* 9. Et Sanch. mutans ſententiam *lib.* 5. *Decal. c* 4. *numer.* 57. plures referens

37 *Diſtinctione vtor.* Ego autem cum Ferdin. à Caſtro *to.* 3. *d.* 2. *de ſtatu Relig. pun.* 2. §. 2. *n.* 4. diſtinguo ſi tentatis remediis per annum morbus non curetur poterit expelli tùm ob deceptionis culpam, tùm ad aliorum damnum, ac contagij periculum præcauendum. Addit Doctor in Societate Ieſu abſque vllo ſcrupulo expelli poſse qui ſic decipiens, vota Scholarium emitteret, quia cum non ſint ſolemnia minorem cauſam ad ſui diſsolutionem expoſtulant, quam ea, quæ ad expellendos alio Religioſos profeſsos expoſtulantur. Sanch. *n* 57. annotauit.

---

## DVBIVM V.

*Validane eſt, Profeſſio à ſeruo emiſſa ſine domini conſenſu?*

38 *Nonnulla ſuppono receptiora quidem.* AD profeſsionis valorem etiam requiritur, vt quis ſeruitute ligatus non ſit, quia fieret grauis iniuria domino, ſi ſeruus occaſione Religionis abſque placito domini ab eius ſe ſubraheret obſequio, cui ipſe, ac ſua tradita ſunt. *Capite ſi ſeruus* 1. & 2. 17. *q.* 4. Porrò ſi ſeruus Religionis habitū aſsumeret, & in eo per triennium computandum vel à die, quo dominus id ſcire potuit: vel, vt aliis placet, à die aſsumpti habitus, perſtiterit

abſque domini reuocatione: eo ipſo à Religione poteſt admitti, quia iuris diſpoſitione cenſetur à domino dimiſſus, *Cap. ſiquis incognitus* 17. *q.* 2. At ſi intra illud triennium dominus ſeruum repetierit, etiamſi profeſſionem feciſſet, debet reddi, fide tamen accepta de impunitione, quod ſi dominus noluerit profeſſum ſeruum habere, ſed pretium illius, probabile ſatis iudico, teneri Religionem eius voluntati acquieſcere, ſi culpabiliter ſeruum ad profeſſionem admiſit. Si vero nullam patrauit culpam, non video qua ratione obligetur æſtimationem ſerui domino reddere: ſufficienter enim ſatisfaciet, ſeruum reddendo. Lege Suarium *tom. 3. de Relig. l. 6. c. 6. per totum.* Leſſium *l. 2. c. 4. dub.* 3. *n.* 31. Quæſierim autem, an illa profeſſio ante triennium facta abſque domini conſenſu, ſit valida?

39 *Non eſt Valida.* Valida non eſt, quia ſeruus quoad actiones vtiles traditus eſt domino: Ergo tradere ſe Religioni non poteſt. Sic Palud. *in 4. diſt.* 38. *quæſtion.* 4. *a.* 2. *num.* 30. Leſſius *citatus.* Sanchez *lib. 5. Decal. c.* 4. *numer.* 49. Azorius *p. 1. l. 12. c. 1. q. q.* 3.

40 *Valida eſt.* Eſt valida. Quia neque apparet irrita ex iure naturali, neque ex poſitiuo. Non ex naturali. Nã omnia vota ſeruorum valida ſunt, neque dominus ea valet irritare abſolute: ſed ſolũ impedire vſum ſibi damnoſũ: Ergo ſtare optimè poteſt, quod profeſſio valida ſit, & quod dominus illius vſũ quoad obedientiã poſsit impedire: neque inde fit non vouere obedientiam, vouet namque in animi præparatione. Ius autem poſitiuum nullum eſt hanc irritans profeſsionem. Ita Syluest. *v. Religio* 2. *quæſt.* 3. Gregor. Lopez *leg.* 6. *tit.* 7. *part.* 1. Suar. *to. 3. de Relig. l. 6. c. 6. n.* 3. & plures alij relati à Sancio *vbi ſuprà.*

41 *Auctoris reſolutio.* Ego his hærens exiſtimo, non ſolum ius nõ eſſe huiuſmodi profeſsionem irritans: imo ex *Cap. ſi quis incognitus* non leuiter colligi validam indicari: ſiquidem triennio tranſacto admiſſus ad profeſsionem ſeruus reddi domino non debet, niſi ob diſtantiam præſumatur ſufficienter non poſse à domino reperiri. *Ea tamen præſumptione facta, & domino reddetur, quamuis profeſſus ſit*, Supponit ergo textus profeſſionem validam fieri poſſe, domino non conſentiente; & non obſtante eius valore, obedientiæ religioſæ vſum poſſe impediri. Illud omnino certum, in Religione Societatis Ieſu nullam eſſe profeſsionem ſeu incorporationem per vota biennij à ſeruo factam, quia eſt vnum ex quinque impedimentis eſſentialibus. *Exam. gener. c.* 2. *& p. 1. conſtit. c.* 3.

---

## DVBIVM VI.

*Qui ſinè coniugis licentia profeſſionem emiſit, poteſtne coniuge non petente, Religionẽ propria authoritate deſerere?*

42 *Certa refero.* CErtum eſt, ad profeſsionem requiri, ne profeſsurus matrimonio cõſummato ſit illigatus. Non conſummato autem, licitus eſt ad Religionem tranſitus, ſi aliud non obſtet impedimentum. Et poſt illius conſummationem erit licitus, ſi detur occaſio perpetui diuortij ob fornicationem, hæreſim, vel ſæuitiã. Porrò poſt matrimonium cõſummatum, nullaque data perpetui diuortij occaſione, ſi ad Religionem quis tranſit, in eaque profiteatur ſine coniugis licentia, nulla erit profeſsio, ob præiudicium coniugis, cui eſt ius quæſitum *Cap. licet, & Cap. Quidam. de conuerſ. coniugat.* Vnde coniux in ſæculo manens poterit eum à Religione reuocare, illeque debet obedire, reuocatus tamen debitum non poteſt petere, eſto reddere teneatur, quia profeſsio illa quoad obligationem non petendi acceptata fuit ab Eccleſia, vtpote quæ non cedit in coniugis non conſentientis præiudicium. Quod intelligo, niſi expreſsam voluntatem ille haberet non aliter ſe obligandi ad caſtitatem, quam dependenter ab ſtatu Religioſo; quia hac expreſſa voluntate poſita, nulla poteſt eſſe obligatio, cum nullus vere ſit Religioſus ſtatus aſſumptus. Sanchez *l. 7. de matr. d.* 34. *num.* 3. Quæſierim verò, an qui ſine coniugis licẽtia profeſsionem emiſit poſsit coniuge non petente, Religionem propria authoritate deſerere?

Poteſt quidem. Quia ſolùm profeſsionis virtute aſtringi quis poterat, in Religione perſiſtere; ſed profeſsio non tenuit. Ergò ceſſat cauſa obligationis, poterit igitur propria authoritate Religionem deſerere. Sic Sanch. *l. 7. de matrim. d.* 34. *num.* 15. citans Gloſſam, Innocentium, Archidiaconum, & Bellameram, 43 *Poteſt quidem propria authoritate.*

Non poteſt propria authoritate, ſed neceſſaria eſt Iudicis Ordinarij facultas. Quia in Trident. *ſeſ.* 25. *capite* 19. cauetur neminem poſſe habitum Religionis dimittere, niſi cauſa nullitatis coram Ordinario examinata: cauſa nullitatis coram Ordinario examinata: aliàs tanquam apoſtata debeat puniri. Et meritò ſic ſtatutum eſt, ne Religioſi occaſionem vagandi arriperent. Cum enim publice conſtitit Eccleſię de profeſsione, publice etiam debet ei de illius nullitate conſtare, vt diſſoluta cenſeatur. Ita Baſil. Legion. *l. 9. de matrim. c.* 11. *num.* 8. Palao *to. 3. d. 2. de ſtatu Relig. punct.* 2. *§.* 4. *n.* 3. Fauetque deciſio quædam Cardinalium apud Farinac. & Barboſ. *in ſupradicto Decreto.* 44 *Non poteſt authoritate propria.*

Cum his ſentiens, primæ ſententiæ Doctoribus adhæreo circa priorem Dubij partem, nempe poſſe illum Religionem deſerere abſque coniugis petitione. Nec enim aduerſatur textus in *Cap. Placet.* dum inquit *Redire verò ad ſæculum in eius poteſtate non erat, ſed in poteſtate mariti.* Quia intelligi debet de reditu ad ſæculum, coniugali copula intercedente, vti ex contextu conſtat, quod in ſola mariti poteſtate erat: ſiquidem ipſa ad debiti petitionem ob votum caſtitatis emiſſum erat impedita. Non tamen ibi negatur, poſſe illam ad ſæculum redire à petitione debiti abſtinendo. Licet autem poſsit abſque coniugis petitione ad ſæculum redire, non tamen abſque Iudicis Ordinarij authoritate. Nam eſtò ſic profeſſus contra coniugis voluntatem teneatur ſeſe ei reſtituere: id tamen præſtare debet iuris ordine ſeruato, 45 *Auctoris vtraque ſententia reſolutio.*

ſcilicet

ſcilicet authoritate Iudicis, qui cauſa cognita, nullitatem profeſsionis declaret.

## DVBIVM VII.

*Epiſcopus, qui abſque Pontificis facultate Religionem ingreditur: emittitne profeſſionem validam?*

46 *Certa ſuppono.* COnditio requiſita ad profeſsionem eſt libertas à vinculo Epiſcopalis dignitatis alteriuſue beneficij. Regula certiſsima eſt Epiſcopum, qui abſque ſummi Præſulis licentia in Religione profitetur, grauiter delinquere Quia ob bonum Eccleſiæ, cui Epiſcopi ſunt addicti illis eſt interdictum *Cap. licet, de Regul & Cap. Niſi cum pridem, de renunciat.* Quæſitum verò, an ſic facta profeſsio valida ſit?

47 *Non eſt valida.* Valida non eſt, quia profeſsio vinculum Epiſcopale non diſſoluit, illo autem non diſſoluto, non poteſt conſiſtere. Non enim apparet, quonammodo Religionis obſequio, & regularis Prælati voluntati ſe allegate valeat Epiſcopus, maximè cum ſuſcipiens Religionem, ſtatum minus perfectum eligat. Sic Valent. 2-2. *d.* 10. *q.* 3 *pun.* 4. *verſ. Tertius caſus.*

Eſt valida, quia ex iure poſitiuo non inuenitur irrita, vt ex *Cap. Niſi cum pridem, de renunciat. Cap. Inter corporalia, de tranſlat. & Cap. licet, de Regular* quæ expreſſius de hac materia loquuntur, conſtat. Ex his enim teſtibus ſolummodo conſtat, neminem poſse Epiſcopatui renunciare abſque Pontificis authoritate, & ex cauſis à iure præſcriptis: non tamen profeſſionem eſſe nullam. Ex iure vero naturali non annullari, mox oſtendam, ita Suar. *tom.* 3. *de Relig l.* 6. *c.* 8. *num.* 7.

48 *Hoc defendo.* Sapiētiſsimo hæreo Doctori. Cui reſolutioni non obſtat, ſi quis obiiciat, impedita, & annullata renunciatione Epiſcopatus, impediri, & annullari tranſitum ad Religionem, qui cum retentione Epiſcopatus, & obligatione ibi aſsiſtendi, & illius exequendi munera conſiſtere nequit. Non inquam obſtat, quia Religioſi ſtatus eſſentia ſaluari optimè poteſt ex eo, quod aſſumens illū, ſe Religioni tradat paupertatē, caſtitatem, & obedientiam obſeruaturus quantum poſsit: tametſi ex aliqua occaſione, & obligatione antecedenti ab eius plena executione impediatur. Vt videre eſt in Religioſo aſſumpto ad Epiſcopatum, qui retento ſtatu Religioſo, & illius natiua obligatione, muneris Epiſcopalis obligationem ſubit. Et ex hac ratione conſtat, iure naturali non annullari profeſsionem ab Epiſcopo factam.

## DVBIVM VIII

*In neceſſitate graui teneturne Religioſus parenti ſuccurrere, etiamſi opus ſit habitum deſerere?*

49 *Nonnulla recolo.* COnditio ad ſtatum Regularem ineundum eſt, ne parentes grauiter indigeāt. At nō eſt neceſſaria ad profeſsionis valorem, ſed vt licitè ſtatus aſſumatur, quia nullus eſt textus, quo profeſsio huiuſmodi irrita reddatur. Porrò liber erit Religioſus profeſſione emiſſa ab obligatione ſuccurrendi parenti, ſi Monaſterium eam vult ſubire. Certum autem eſt, in neceſsitate extrema teneri filiū parenti ſuccurrere eo modo, quo poſsit, ſiue parens in eam egeſtatem inciderit poſt profeſsionem, ſiu eantea in ea fuerit conſtitutus, quia hæc neceſsitas ſemper videtur excepta. Quæſieris verò, an in graui neceſsitate teneatur, etiamſi opus ſit habitum dimittere?

50 *Tenetur quidem.* Tenetur filius, etiam Prælato inuito, ſubuenire parenti, relinquendo Religioſum habitum ſi opus fuerit, ſiue parens affectus extiterit graui neceſsitate hac ante profeſsionem, ſiue poſt in illam inciderit, quia obligatio filij comparatione parentis eſt adeo intrinſeca, ac naturalis, vt ab ea eximi non valeat ob ſtatum perfectionis aſsumptum, cenſendus enim eſt illum ſtatum aſsumpſiſse ſalua hac obligatione. Sic Ianſeni. *in concor. Euang. cap.* 60. Palac. *in* 4. *diſt.* 38. *d.* 1. *ad* 3. & alij relati à Sancio *l.* 4. *Decalog. cap.* 20. *n.* 25. & à Suario *tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *capit.* 9. *numero* 4.

51 *Non tenetur.* Non tenetur filius profeſſus egredi è Monaſterio abſque legitima Prælati licentia nec à fortiori habitum dimittere, licet parēs profeſsionis tempore in graui neceſsitate fuerit conſtitutus, quia profeſsione ita mutauit ſtatum, vt ſui iuris non ſit, ſed Prælati; Ergo nolente Prælato: vt è Monaſterio egrediatur ad ſubueniendum parentibus, cēſendus eſt Religioſus ille factus impotens, ſicut enim nequit Religioſum deſerere ſtatū, ſic nec poteſt obedientiam omittere, ita D. Thom. *ſecunda ſecundæ quaſt.* 101. *articul.* 4. *ad* 4. Caietan. *ibi.* Corduba *ſum. quaſt.* 141. *articul. ſecund. in* 4. *opini.* Sà *v. Religio, num.* 2. Manu. *Regul. qq. tom. ſecund. q.* 57. *articulo* 3. Sanchez *l.* 4. *Decalog. cap.* 20 *n.* 17. alios citans Layman. *libro quarto tract.* 5. *capite* 4 *num.* 2.

52 *Mediam tero viam.* Vnam & alteram ſententiam probabilem eſse iudico. Aſt ego cum Toleto *lib.* 5. *c.* 1 *n.* 6. Suario *to.* 3. *de Relig l.* 6. *c* 9. *à n.* 8. Leſsio *l.* 2. *c.* 41. *dub* 3. *n.* 34. & aliis, mediam tero viā aſserens Religioſum profeſsum obligatum eſse è Monaſterio egredi, & ſi ſit opus, habitum dimittere, vt parentibus ſubueniat, caſu, quo illi tempore profeſsionis in ea fuerint neceſsitate, ſecus ſi poſt profeſsionem in illam inciderint. Ratio prioris partis eſt, quia filius, qui tempore profeſsionis adſtrictus eſt ſubuenire parentibus Religioni ſe tradit

cum eo onere. Nec enim æquum erat, vt per profeſſionem à ſe hanc natiuam obligationem excluderet. Secundam partem probo, quia obligatio filij ſuccurrendi parentibus aduenienis profeſſioni factæ, metienda eſt iuxta ſtatum Religioſum: ſiquidem hunc filius nequit relinquere: ſed ſtatus Religioſus non permittit, inuito Prælato è Monaſterio egredi, & habitu dimiſſo, in ſæculo viuere: Ergò filius profeſſus non tenetur hac via parentibus ſubuenire.

## DVBIVM IX.

*Generalis, vel Prouincialis Religionis poteſt poteſtatem inferiori traditam ad acceptandum profeſſuri traditionem ita reſtringere, vt eo inconſulto, irrita ſit receptio?*

53 *Nonnulla ſuppono.* SVppono, debere eſſe aliquem, qui nomine Religionis traditionem Religioſi acceptet, obligetque Religionem ad Religioſum retinendum, alendum, ac gubernandum iuxta Religionis inſtitutionem, quia profeſſio eſt mutuus contractus, ac reciproca obligatio Religioſi, & Religionis. *Cap. Porrectum, Cap. Ad Apoſtolicam, de Regularib.* Verū in noſtra ſocietate huiuſmodi poteſtas acceptandi traditionem penes ſolum Præpoſitum generalem eſt, qui eam communicat, quibus expediens eſſe cenſet. Regulariter autem etiam ad vota biennij nulli Rectorum generaliter communicatur, ſed ſolis Prouincialibus. In aliis religionibus ſpectanda eſt forma à ſede Apoſtolica præſcripta, prout vſu & conſuetudine eſt declarata. Regulariter nullus Prælatus abſque ſui conuentus conſenſu poteſt nouitios ad profeſſionem admittere: neque conuentus ſine ſui Prælati conſenſu, quia illa receptio vtrique vtilis, vel nociua eſt. Leſſius *l. 2. c. 41. dub. 7. numer. 61.* Sanchez *l. 5. Decal c. 4. num. 65.* Difficultas autem eſt, an Generalis, vel Prouincialis ita poſſit facultatem inferiori traditam ad acceptandam profitentis traditionem, ita reſtringere, vt eo inconſulto irrita ſit receptio?

54 *Non poteſt.* Non poteſt, quia inferior Prælatus v. gr. Prior, Abbas, Guardianus, Rector conuentus non accipit poteſtatem recipiendi nouitios ad profeſſionē à Prouinciali, vel Generali ſed immediatè à Pontifice, ſeu à tota Religione ex Pontificia authoritate eo ipſo, quo ſuperior eſt, vt ſupponimus: Ergo nequit ſuperior Prælatus hanc poteſtatem inferiori reſtringere; in ea enim poteſtate ei ſubordinatus non eſt, neque inferior dicendus. Sic nonnulli quorum ſententiam Ferdinandus à Caſtro indicat eſſe veram, cum contrariam ait eſſe veriorem.

55 *Poteſt quidem ex cauſa iuſta.* Poteſt quidem poteſtatem illam, cauſa iuſta intercedente, reſtringere, quia eſto inferior Prælatus poteſtatem admittendi ad profeſſionem à ſuperiore non recipiat: at vſum, & exercitium illius ab illo habet dependentem; id enim recto Religionis regimini accinitum cum ſit illi inferior, & ſubditus abſolutè, expediebat in re tam graui plenè illi eſſe ſubiectum, ac ſubordinatum. Ita Palao *to. 3. d. 2. de ſtatu Relig pun. 3. n. 5.*

56 *Hæc placet opinio.* Placet opinio. Hac enim de cauſa Nicolaus III. *in Cap. Exiit, de verbor. ſignificat. in 6. §. Verum quia* expreſſe dixit, Generalem Ordinis D. Franciſci poſſe Prouincialibus licentiam recipiendi coarctare, non obſtante, quod poteſtas recipiendi iure ordinario Prouincialibus competat. Mecum Sanch. *vbi ſupr.* duplici exemplo id confirmans.

## DVBIVM X.

*Religio poteſtne compellere Religioſum qui tentauit Profeſſionis nullitatem, nec probauit, vt illam ratificet?*

57 *Certa præmitto* CErtum mihi, nullam eſſe obligationem ſeruandi paupertatem, caſtitatem, & obedientiam ex profeſſione nulla, quia ea obligatio oriri nequit niſi ex vero voto: ſed votum in profeſſione emiſſum nullum eſt, nulla exiſtente profeſſione: quippè eſt illi eſſentiale, vel acceſſorium: Ergò nulla eſt obligatio. Addo, inualidè profeſſum obligatum non eſſe ſuam profeſſionem ratificare, quia profeſſio eſt ſtatus ita difficilis, vt ad illum ſuſcipiendum contra propriam voluntatem nullus ſit obligatus; Quæſtio autem eſt, an Religio compellere poſſit Religioſum, qui tentauit ſuæ profeſſionis nullitatem, nec probare potuit, vt verè & ex animo illam ratificet?

58 *Poteſt quidem.* Poteſt quidem, quia Religio habet ius huiuſmodi profeſſum retinendi: Ergo habet ius vt debito modo retineat: ſed debitus ac conueniens modus retinendi Religioſum eſt eum votorum vinculis, & profeſſione alligare: non enim debet eſſe retentio coacta, ſed voluntaria: Ergo. Sic Suar. *tom. 3. de Relig. l. 7. c. 2. n. 7. & 8.*

59 *Non poteſt.* Minime poteſt Religioſum ad veram ratificationem cogere, quia hæc Religionis poteſtas haud poteſt niſi ex profeſſione oriri: Ergo pro qualitate profeſſionis eſt poteſtas. Cùm autem profeſſio vera non ſit, ſed ſolùm præſumpta poteſtas cogendi Religioſum vera eſſe non poteſt, ſed ſolum præſumpta, ita Sanchez *l. 7. de matrim. d. 37. num. 38.* Leſſi. *l. 2. cap. 41. dub. 7. num. 55.* Nauar. *l. 3. conſil. tit. de Regular. conſil. 5. & comment. 4. de Regular. num. 74.*

60 *Auctoris reſolutio.* Scio Suarium primam ſententiam probabiliorem eſſe dixiſſe. Aſt ego probabiliorem credo eſſe ſecundam. Nam leges in falſa præſumptione fundatæ obligationem in conſciētia non inducunt, vti docet Palao *tr. de legib. d. 1. pun. 14. num. 12.* Ergò ex vi legis, & præcepti impoſiti ob hāc falſo præſumptam profeſſionem nulla in conſcientia poteſt obligatio induci, Addiderim, Religioſum media profeſſione non ſe Religioni tradere, vt illū compellat ad profitendum, ſed vt illum compellat ad ſeruandam profeſſionē. Ergo ſolummodo hanc compulſionem poteſt Religio gerere, non illam.

DVBIVM

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

## DVBIVM XI.

*Ad ratificationem Profeſſionis inualidæ, nouitiatus eſtne repetendus?*

61 *Plura de ratificatione profeſſionis.*

CVm impedimenta plura ſint, ex quibus profeſſio valeat annullari, vel ſe tenentia ex parte ſolius profeſſi, vel ex parte ſolius Religionis, vel ex parte vtriuſque: ad ratificandam profeſſionem debet tolli impedimentum, & adeſſe nouus conſenſus tum profeſſi, tum Religionis: qui quidem conſenſus debet eſſe ex notitia nullitatis. Porrò reualidatio profeſſionis inualidæ induci poteſt delatione habitus profeſſorum per quinquennium, & exercitiis eorumdem, quia his ſignis poſitis ius præſumit, profeſſum poſt ſcientiam nullitatis ſuæ profeſſionis, denuo conſentire. Quæſtio autem granis voluitur, num ad hanc reualidationem agendam ſit nouitiatus repetendus? Et quidem quando profeſſio nulla fuit ex eo, quod integer annus probationis præmiſſus nō fuerit certum eſt præmitti debere, quia Trident. *ſeſ.* 25. *c.* 15. expreſsè annullat profeſsionē factam ante decimum ſextum ætatis annum, & ante expletum annum probationis integrè & validè præceſsit, & profeſsio ob aliud impedimentum nulla fuit, requirò, an ſit nouitiatus iterandus?

62 *Repetendus eſt nouitiatus.*

Repetendus quidem eſt, quia nouitiatus ita profeſsioni eſt neceſſariò præmittendus vt profeſsio immediate nouitiatum ſuccedat. alias interruptione illa quaſi extinctus cenſeri debet. Sic Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 7. *c.* 1. *n.* 34.

63 *Non eſt repetendus.*

Non eſt repetendus, Quia finis Tridentini ſtatuentis probationis annum, fuit, vt Religio mores profeſsi, & profeſsus aſperitates Religionis ſatis experiretur: ſed hoc experimentum eodem prorſus modo habetur ſiue profeſsus ſub titulo nouitij, ſiue ſub titulo profeſsi in Ordine perſiſtat. Ergo eo caſu probatio rigoroſa neceſsaria non eſt. Certè ſi annus probationis ad reualidandam profeſſionem neceſsarius eſset, deberet profeſsus manifeſtare Religioni profeſsionis nullitatem vt eum in probatione retineret: At dum Religio reputat illum profeſsum eſſe, nequaquam in probatione retinet, de cuius eſsentia eſt probatum dimittere, ſi diſplicuerit: ſed potius illum retinet, quia exiſtimat, ritè eſse probatum, nullamque eum dimittendi poteſtatem habere. Debet ergo Religio cognoſcere, ſe Religioſum probare, vt ipſe in probatione conſiſtere cenſendus ſit. Hoc autem præterquam quod difficillimum eſt, admodumque durum, admittendum non eſt abſque manifeſto textu, vel ratione, quę nulla ſunt. Igitur in eo caſu nouitiatus neceſsarius eſt ad profeſsionem ratificandam. Ita Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 1. *q.* 6. Sanch. *l.* 7. *matrim. d.* 37. *num.* 47. Leſ. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 7. *n.* 66. & alij.

64 *Sententiam hanc veriorem eſſe exiſtimo.*

Veriorem, Suarij venia, hanc ſententiam eſse iudicarim. Nam quando nouitiatus validus, ac integer præmiſsus fuit tanquam certum ſupponit Sanch. *num.* 45. Tridentinum enim ſolum requirit ad profeſsionis valorem vt illam emittens per annum poſt habitus ſuſceptionem in probatione extiterit. Quod optimè verificatur de eo, qui inualide profeſſus fuit, & per annum integrum poſt ſuſceptum habitum in probatione extitit. Neque inde fit, nouitiatum iterandum non eſse ab eo, qui completo anno probationis, noluit profeſsionem facere, ſed Religionem dimiſit, vel ab ea fuit expulſus, & poſtea habitum reſumpſit, quia de eo non verificatur, poſt ſuſceptum habitum quem profeſſio ſubſequitur in probatione per annum extitiſse; nam prima ſuſceptio habitus dimiſſione illius omninò fuit extincta.

## DVBIVM XII.

*Quinquennium, intrà quod licitum eſt Religioſo ex nullitate Profeſſionis reclamare, computaturne à Profeſſionis die?*

65 **Decretum Trident. præmitto.**

TRidentini decretum *ſeſ.* 25. *capite* 19. præmitto. *Quicumque Regularis prætendat, ſe per vim, & metum ingreſſum eſse Religionem: aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velletque habitum dimittere qua de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia ſuperiorum: non audiatur niſi intra quinquennium tantum à die profeſſionis; & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram ſuperiore ſuo & Ordinario. Quod ſi antea habitum ſpontè dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcumque cauſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tanquam apoſtata puniatur: interim verò nullo ſuæ Religionis priuilegio iuuetur.* Ex quibus verbis quæſtio granis excitatur. An quinquennium computandum ſit à die profeſsionis.

66 *Non eſt computandum quinquennium à die profeſſionis.*

A profeſsionis die computandum non eſt, quia ſæpe ab illo die non ceſſat impedimentum, quod nullam reddit profeſsionem, & ſæpè ignoratur, ob illud impedimentum profeſsionem nullitate laborare, quomodo ergo ab eo die quinquennium erit computandum. Deinde ex hac quinquennij perſeuerantia præſumit ius Religioſum illum ſuam profeſſionem ratificaſse, caſu quo nulla fuiſset: At ſi toto fere quinquennio durauit impedimentum quod reddidit profeſsionem nullam, aut illius ignarus ille fuit, nulla ratione poterit ius eo tempore præſumere, profeſsionem ratificari, cum id ſit impoſsibile: Ergo quinquennium, ex quo præſumptio hæc deſumitur, non à die profeſsionis, ſed à die ſublati impedimenti cogniti eſt computandum. Sic Palao *tomo tertio d.* 2. *de ſtatu Relig. p.* 7. *n.* 3. & 5. & Sanchez *citandus* ait eſse probabilem.

67 Computandum eſt à profeſsionis die. Quia

Concilium,

*A die profeſſionis eſt computandum.*

Concilium, *Niſi intra quinquennium* (ait) *tantum à die profeſſionis* computandum, Ponderanda etenim dictio illa *Tantum*, quæ excluſiua eſt, & affirmatiua illius quod ponit, & negatiua omnium aliorum caſuum præter expreſſos, *leg. Ob as, C. de prædiis minor. leg contractum, ff. de reg. l iuris, cap. cum Eccleſia, de cauſa poſſeſ. & propriet.* Præterea dictio *Tantum* neceſſario non erat, ſed addita fuit maioris gratia claritatis, & vt nullus ambigendi locus ſupereſſet, numerationem agendam à profeſſionis die, procedereque contra ignorantem, & impeditum. Ita Sanch. *l. 7. de matr d. 37. à n. 19.*

68 *Priorem ſententiam el gendam duxi.* Priorem ſententiam probabiliorem planè eligo. Nam hoc quinquennium, quo tranſacto, interdicitur Religioſo poteſtas ſuam profeſſionem oppugnandi, licèt præſcriptum non ſit in odium ſuæ negligentiæ, ſed in Religionis, ac Religioſorum quietem: at præſcriptum eſt ob præſumptionem profeſſionis eo tempore ratificatæ: ſed durante impedimento, illudque ignorante Religioſo, profeſſio nequit ratificari: ergò non poteſt eſſe præſumptio pro illo tempore. Cæterum hæc doctrina non pugnat cum Tridentini decreto dicentis quinquennium ad reclamandum, computandum eſſe *à die profeſſionis tantum.* Quia id debet intelligi caſu, quo ab ea die ceſſet impedimentum, quod verè eſſe tale Religioſus dignoſcebat.

## DVBIVM XIII.

*Si quis certo dignoſcat, ſuam Profeſſionem eſſe nullam, nec ratificaſſe: peccatne lethaliter, habitum dimittens, & fugiens abſque ſui ſuperioris, & Ordinarij licentia?*

69 *Status quæſtionis.* NOtanter dixi, *ſi certo dignoſcat.* Nam ſi dubius hæret, ſpectanda eſt natura dubij, vt indè inferatur, pro quanam parte ſit poſſeſſio, an pro illius, an pro Religionis parte. Sed in caſu certo peccatne lethaliter qui habitum dimittit, & fugit abſque ſuperioris, & Ordinarij facultate.

70 *Non peccat lethaliter.* Non peccat, quia cum non ſit verè Religioſus, ex nullo capite naſci poteſt obligatio perpetuo in Religione manendi. Neque obſtat Tridentinum grauiter puniri imperans ſic fugientes, quia punit, eo quod præſumit verum Religioſum eſſe, & conſequenter abſque legitima cauſa fugere. Sic Nauar. *comment 4. de regularib. num 77.* Sà *v. Religio, num 71.* Barboſa *p. 3. de poteſt. Epiſc. allegat. 104. num 12.*

71 *Lethaliter peccat.* Peccat equidem, quia cum in foro Eccleſiæ tanquam Religioſus habeatur, merito debet Eccleſiæ iudicio diſſolui, (ſi id facile fieri poteſt) ad graue ſcandalum vitandum. Ita Suar. *tom. 3. de Relig. l. 7. cap. 3 num. 11. 12. & 13* Leſſi. *l. 2 c. 41. dub. 7. n. 65.* Sanchez *l. 7. de matrim. d. 37 n. 1.*

72 *Diſtinctio-ne vtor.* Ego quidem crediderim ſi profeſſio ita nulla ſit, vt credat ille abſque graui difficultate ſe poſſe illius probare nullitatem, mortaliter delinquere, ſi ſecreto fugiat, habitumque dimittat; quia Religionem propria authoritate priuat poſſeſſione quam habet eum retinendi. At ſi abſque graui difficultate nequit profeſſionis probare nullitatem, vel quia à Religione impeditur, vel quia ob eam cauſam diuexatur, vel quia teſtes nolunt veritatem aperire, vel quia impedimentum eius naturæ eſt, vt probationi non ſubſit: nullum perpetrabit delictum fugam, dimiſſo habitu, arripiendo, quia id quod abſque graui difficultate fieri nequit, moraliter eſt impoſſibile: ſed ſtante impoſſibilitate probandi nullitatem profeſſionis, non tenetur Religioſus eam probationem intentare: ergò, omiſſa illa probatione, fugere poteſt; quia ius propriæ libertatis obtinet, nulloque Religionis vinculo tenetur. Mecum Palao *tom. 3. d. 2. de ſtatu relig. pun. 7. n. 10.*

## DVBIVM XIV.

*Si ſublatum ſit impedimentum Profeſſionis, & nulla adfuit impotentia intra quinquennium reclamandi: poteſtne Religioſo illi dari in integrum reſtitutio?*

PRæſcribit Concilium in illo decreto *ſeſſ. 25. capit. 19. ne elapſo quinquennio Religioſus audiatur*, hoc eſt, admittatur ad allegandas cauſas nullitatis ſuæ profeſſionis: eo quod præſumit, eo tempore profeſſionem ratificaſſe, ſi fortè nulla fuit. Porro ſi impedimentum profeſſionis intra quinquennium ſublatum fuit, & nulla adfuit impotentia reclamandi, vel illa adfuit, eam probare liquido non poteſt, & ex alia parte profeſſionem non vult ratificare: nulla ſupereſt via, vt audiatur, niſi vtatur reſtitutionis in integrum beneficio. Quæſierim autem num poſſit in hoc caſu dari Religioſo illi reſtitutio in integrum. 73 *Nonnulla ſuppono.*

74 *Dari non poteſt.* Dari non poteſt, quia matrimonium & profeſſio ſemel facta, indiſſolubilia ſunt, & reſtitutio conceditur ad diſſoluenda ea, aduerſus quæ datur. At Tridentinum ſtatuit reualidari profeſſionem geſtatione habitus profeſſorum, & eorum exercitiis per quinquennium: ergò eo elapſo, non poteſt eſſe reſtitutio, quæ hanc reualidationem infirmet. Sic Flamin. *l. 13. de reſignat. benef quæſtione quint. numero 46.* Zaual. *pract. qq. quæſt. 500. fine.*

75 *Poteſt dari.* Poteſt dari aduerſus hunc quinquennium reſtitutio, ſicut in aliis materiis, quia reſtitutionis beneficium aduerſus præſcriptionem longi temporis iure ſpeciali, & extraordinario tam minoribus, quam maioribus conceditur, diuerſimodè tamen, vt conſtat ex *cap. 1. & 2. de reſtit. in integrum l 6.* & *ex leg. 1. §. fin. ff. ex quibus cauſis.* Sed Concilium non interdicit huius reſtitutionis beneficium aduerſus quinquennij præſcriptionem. Nam licet dixerit, eo elapſo, non eſſe audiendum,

intelligi

intelligi poteſt via ordinaria, ſecus hac extraordinaria via. Leges enim generaliter actionem interdicentes non intelliguntur de actione competenti iure ſpeciali, & extraordinario: ſed ex iure ordinario, & communi, iuxta Gloſſam receptam *in leg. Poſtquam, C. de pactis*. Ita Leſſi. *l. 2. c. 41. dub. 7. n. 65.* Barboſa *p. 3. de poteſt. Epiſc. allegat.* 104. *n.* 108. Riccius *reſol.* 550. *num.* 6. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *cap.* 4. *q. vlt.* Sanch. *l.* 7. *de matrim. d.* 37. *n.* 22. & alij.

76 *Cum his longè probabilius opinor.*

Cum his longe probabilius opinor. Fateor enim non poſſe dari reſtitutionem aduerſus profeſſionem certam, ſicuti nec aduerſus matrimonium certum; quia diſſolui non poſſunt; bene tamen aduerſus profeſſionem, ac matrimonium præſumptum. Quia probari poteſt veram non eſſe præſumptionem, neque in veritate fundatam: eo quod vere profeſſio nec facta, nec ratificata ſit, nec matrimonium contractum.

## DVBIVM XV.

*Ad votorum commutationem quæ fit virtute profeſſionis, opuſne eſt, ſpeciali vouentis voluntate.*

77 *Plura recolo circa profeſſionis effectus.*

VArij ſunt effectus Religioſæ profeſſionis. Primus & quaſi ſubſtantialis eſt, vt profeſſus in dominium, & poteſtatem Religionis tranſeat obſequuturus in omnibus, quæ ſunt iuxta ipſius regulas, & conſtitutiones: ipſaque Religio viciſſim obligetur illum ſuſtentare, & gubernare, ſicut mater filium. Ex quo effectu ſoluitur patria poteſtas. Quia à Religione is gubernandus aſſumitur. Sanch. *l.* 5. *Decal. c.* 5. *n.* 29. Secundus eſt plenaria peccatorum remiſſio quoad pœnam. D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *a.* 3. *ad* 3. Suar. *l.* 6. *c.* 13. *n.* 4. Tertius eſt commutatio omnium votorum antecedentium profeſſionem, ſiue ſint perſonalia, vti ferè omnes Doctores tenent: ſiue ſint realia vt communior fert opinio. Conſtat ex *cap. Scripturæ, de voto*. Quæſtio autem eſt, an commutatio huiuſmodi fiat ex vouentis voluntate, an ipſo facto ex iure naturali diuino, an Eccleſiaſtico.

78 *Opus non eſt vouentis voluntate.*

Opus non eſt ſpeciali vouentis voluntate: ſed iure ipſo diuino naturali, & Eccleſiaſtico hæc commutatio Regulari profeſſione inducitur. Quia Religionis profeſſione omnes ſuas facultates, ac vires Deo ille conſecrat: ergo abundantius ſoluit, quam ſi particularia obſequia præſtaret. Quemadmodum ſi Antonio magnam ſummam deberes, omneſque facultates quas habes, & habere poteras illi offerres, & inſuper te in ſeruum traderes: abundantiſſimè ſatisfaceres. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 1. Sanchez pluribus relatis *l.* 5. *Decal. cap.* 5. *num.* 38. Laym. *l.* 4. *tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 3. Palud. *in* 4. *diſt.* 58. *q.* 4 *a.* 1. *n.* 15. *concl.* 6.

79 *Opus quidem eſt.*

Speciali vouentis voluntate eſt opus. Quia nullum eſt ius Eccleſiaſticum ſcriptum hanc commutationem expreſſè ſtatuens. Nam textus in *cap. Scripturæ*, non de omnibus votis, ſed ſolum de incompoſſibilibus loquitur: & licet de omnibus loqueretur, non indicat ipſo iure commutationem fieri, ſed potius vouentis voluntate. Inquit enim: *Nec voti facti reus habeatur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſeruantiam commutare.* Ita nonnulli. Et quidem ex vouentis voluntate fieri poſſe nemini eſt dubium.

80 *Exiſtimo facto ipſo fieri votorum commutationem.*

Exiſtimo longè probabilius eſſe non ex vouentis voluntate ſed facto ipſo hanc fieri votorum commutationem. Nam ſi quis voueret ſtrictiorem Religionem poſſet ingreſſum in laxiorem commutare, cum delinqueret laxiorem ingrediendo; at ſi de facto in laxiori profiteatur, extinguit Religionis ſtrictioris, etiam perſeuerantiæ votum: ergo ſignum eſt, facto ipſo, & non ſpeciali vouentis voluntate, huiuſmodi commutationem fieri. Sed quo iure id fiat? Verius crediderim, non iure ipſo naturali, nec diuino poſitiuo: ſed ſolum Eccleſiaſtico conſuetudine introducto.

## DVBIVM XVI.

*Religioſis illegitimis conceditur ne, poſſe vlla Beneficia Eccleſiaſtica habere, cum irregularitas ex defectu natalium ob Profeſſionem aufertur.*

81 *De alio profeſſionis effectu, nempe de ablatione irregularitatis ex defectu natalium.*

ALius profeſſionis effectus eſt ſublatio irregularitatis ex defectu natalium prouenientis, *cap.* 1. *de filiis Presbyteror.* Excipit tamen textus Prælaturam; quia ſub prohibitione, & ſuſceptione præcedenti comprehendebatur. Intelligenda autem eſt exceptio de Prælatura tam intra Religionem, quam extra. Sanch. & alij referendi. Dubitas autem, an non ſolùm Prælatura, ſed quodlibet aliud beneficium etiam ſimplex his Religioſis ſit interdictum? an ob oblationem irregularitatis illius eis concedatur, poſſe Eccleſiaſtica beneficia habere?

82 *Non conceditur poſſe beneficia habere.*

Non conceditur. Quia textus in *cap.* 1. *citato* ſolum concedit his Religioſis ſacrorum Ordinum ſuſceptionem: ergo ſuſceptionem beneficij non concedit. Neque exceptione Prælaturæ, id colligi poteſt; quia illa exceptio neceſſaria non erat, ſed ad tollendam omnem dubitationem appoſita fuit. Sic Suar. *tom.* 5. *de cenſur. d.* 50. *ſect.* 5. *n.* 15.

83 *Conceditur, poſſe habere ſimplex beneficiū.*

Conceditur eis beneficia ſimplicia poſſe habere, non vero beneficia curam animarum habentia. Quia *cap. fin. de filiis presbyteror.* illegitimi excluduntur à qualibet dignitate, & beneficio Parochiali: tacitè ergo eis beneficium manuale ſimplex conceditur. Ita Nauar. *l.* 1. *conſil. tit. de Presbyteris conſ.* 3. *alias* 6. Leſſi. *l.* 2. *cap.* 41. *dub.* 8. *fine.* Sanch. *l.* 5. *Decal. c.* 5. *n.* 16. alios citans.

84 *Ex vi iuris crediderim poſſe qua-*

Non dubito hanc ſententiam ſequendam eſſe in praxi, vtpote communem. At ſi iuris rigorem expendam, exiſtimo non ſolum beneficium ſimplex, ſed & curatum, modo Prælatura non ſit, his Religioſis illegitimis concedi.

*libet beneficia habere.* concedi, quia licèt *in c. fin. de filiis preſbiter.* Illegitimis interdicantur dignitates, beneficiaque curata, ab hoc interdicto eximuntur cum profitentur: ſiquidē *in c. vt filij, cui finale* non debet eſſe contrarium, ſub prohibitione ſuſcipiendi Sacros Ordines plena irregularitas illegitimi conſtituitur, vt ipſe Suarius *vbi ſ.* docet: ſed ab ea eximuntur ſi Monachi fiant, alias non exciperetur Prælatura, ſi ſub prohibitione, & exemptione antecedenti non eſſet comprehenſa. Comprehendebatur, inquam quodlibet beneficium ſimplex, curatum, & Prælatura. Cum ergo Religioſis ſola Prælatura expreſsè interdicatur, omnium aliorum beneficiorum capaces exiſtunt.

---

## DVBIVM XVII.

*Illegitime natus, & ſine diſpenſatione ordinatus, ſi Religionem ingrediatur: poteſtne in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare?*

85 *Non poteſt.* MInimè poteſt, quia textus *in cap. 1. de filiis presbyteror* inquit: *Ad Sacros Ordines non promoueantur, niſi Monachi fiant.* Ergo conceſſum eſt ei qui fit Monachus ad Sacros Ordines poſſe promoueri, non autem exercere poſſe Ordinem Sacrum ſine diſpenſatione antea ſuſceptum. Sic Sayr. *t. 1. Theſau. l. 6. c. 11. n. 3.*

86 *Poteſt planè.* Poteſt profecto, quia ex conceſſione ſuſcipiendi Sacros Ordines cenſetur conceſsa facultas ſuſceptis vtendi. Nam minor eſt, & in maiori incluſa; ſiquidem præcipue ob vſum Ordinum facultas illos recipiendi conceditur. Ita Sanchez *l. 5. Decal. cap. 5 numer.* 10. Laym. *l quart. tract. quint. capit.* 10. *numer.* 4. Palào *tom. 3. d. ſecund. de ſtatu Relig. punct.* 8. *num.* 8.

87 *Hoc longè verius, imo verè certum.* Hoc longè probabilius, imo fere certum eſse iudicarim. Nam ſub ea conceſſione excluditur omnis irregularitas, & inhabilitas, quæ prohibitione recipiendi Sacros Ordines erat introducta. At illis verbis: *non promoueantur ad Sacros Ordines filij ex fornicatione nati*, introducta erat integra irregularitas non ſolùm ſuſcipiendi Sacros Ordines, ſed etiam in ſuſceptis adminiſtrandi, recipiendique quodlibet beneficium: ergò illa conceſſione *niſi Monachi fiant*, hæc irregularitas remouetur.

---

## DVBIVM XVIII.

*Irregularitas ex defectu natalium orta tolliturne & non tollitur nouitiatus ingreſſu?*

88 *Tollitur nouitiatus ingreſſu.* NOn ſolùm tollitur profeſſionis emiſſione, ſed & ipſo nouitiatus ingreſsu, quia nouitius vere Monachus dicitur præcipue in fauorabilibus. Imo eſto verè Monachus non ſit, ſaltem in congregatione canonica regulariter viuit. Cum ergo *in cap. 1. de filiis presbyt.* ab irregularitate eximantur illegitimi, qui Monachi fiunt, & qui in congregatione canonica regulariter viuunt, efficitur noui̇t os non exi[…]i. Sic Manu. *tom. 1. qq. Regul. quæſt. 13. a. 4.* ſubditque, exeuntes à Religione in eandem irregularitatem incidere, & ab vſu ſuſceptorum Ordinum prohiberi.

89 *Non tollitur ex nouitiatu ſed ex ſola profeſſione.* Solùm tollitur hæc irregularitas profeſſionis emiſſione, non verò nouitiatus ingreſsu, quia cum hæc irregularitas abſolutè tollatur, & non ad reincidentiam, vti aiebat Manuel; expediebat tolli ob cauſam ex ſe perpetuam, qualis eſt ſola profeſſio, & non probationis ingreſſus. Ita Suar. *tom. 5. de cenſur. d.* 50. *ſect. 5. à num.* 12. Azorius *p. 1. l. 12. cap. 5. quæſtione* 12. Sanchez *l. 5. Decal. cap. 5. num.* 12. plures citans.

90 *Hoc dicendum eſſe non dubito.* Hoc dicendum eſse non dubito. Nam cum textus inquit ab hac irregularitate illegitimos excludi, ſi Monachi fiant, aut in congregatione canonica regulariter viuant: non loquitur de Monachis ſeu nouitiis in congregatione canonica regulariter viuentibus, ſed de Canonicis Regularibus. Neque *c. 1. diſt.* 56. loquitur de probatione nouitiatus, ſed de probatione per probatam, ac Religioſam vitam. Addiderim votis biennij in Societate Ieſu emiſſis hanc irregularitatem æque ac per profeſſionem tolli, quia his votis verè Religioſi conſtituimur: & textus *in capit. 1. de filiis presbyteror.* & *cap. 1. diſt.* 56. ſolùm id expoſtulauit. Sanchez *l. 5 Decal cap. 5. nu* 13. Laym. *l. 4. tra 5. cap.* 10. *num.* 4. At ſi Religioſus ſimplicibus his votis ſolutis, è Religione dimittatur in eam irregularitatem non reincidit, ſed omninò liber manet, quia nullibi cauetur hæc reincidentia, & non eſt imponenda irregularitas niſi in caſibus à iure expreſſis. Mecum Sanc[…] *vbi ſupra.*

---

## DVBIVM XIX.

*Fœminæ illegitimæ excluduntur ne à Prælatura Monialium?*

91 *Non excluduntur.* NOn excluduntur, quia hæc excluſio eſt quaſi quædam irregularitas: at hæc non contrahitur niſi in caſibus à iure expreſſis, & in iure expreſſum non eſt, fœminas illegitimas à Prælatura ſui conuentus excludi. Nam licèt *in capit. 1. de filiis presbyter.* Filij illegitimi à Prælatura excludantur, ad fœminas hoc decretum non debet extendi, quia odioſum, & quia expreſsè de filiis incapacibus ſuſcipiendi Ordines loquitur. Certè ſi ex profeſſione Monialis illegitima capax Prælaturæ non redditur, nullum priuilegium Religioſa profeſſio ei concedit. Sic Manuel. *tomo 1. qq. Regul. quæſt. 13. a.* 21. Indicat Tabiena *v. Virginum conſecratio n penult.*

92 *Excluduntur.* Excluduntur quidem, quia illo *c. 1.* à Prælatura excluditur Religioſus illegitimus: ſed ſub

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſub nomine Prælaturæ, Abbatiſſę aut Prioriſſæ munus continetur, vt docent communiter Doctores in *Cap. Indemnitatibus de elect. in 6.* ibi: *Vt à dignitate eiiciatur electa.* Ergo illegitima à Prælatura excluditur. Et licet in illo textu nomen Filij expreſſum ſit, videturque loqui de capacibus Sacros Ordines ſuſcipiendi, at quia eſt diſpoſitio Religioſo ſtatui fauorabilis, ideò fœminas comprehendit ea parte, qua capaces ſunt. Ita Gloſ. *ad Cap. Indemnitatibus, & ibi.* Ioan. Andr. Anchar. Archidiac. & alij. Nauar. *comment. 2. de Regular. numer. 69.* Flamin. *de reſignat. l. 3. q. 12. n. 11.* Sanch. *l. 5. Decalog. cap. 5. numer. 19.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 2. c. 6. numer. 14.* Sayr. *to. 1. Theſau. lib. 6. c. 11. n. 3.*

93 *Auctoris reſolutio.* Ergo quidem exiſtimo, ſententiam primam ſpectato iuris rigore tenendam eſſe: at ſpectata conſuetudine communique Doctorum interpretatione, amplectendam ſecundam. Aſſero itaque, nullam illegitimam poſse in Abbatiſſam, vel Prioriſsam perpetuam vel temporalem eligi. Dixi autem *Perpetuam, vel temporalem.* Quia aliqui primam ſententiam limitant, vt locum habeat in Abbatiſſis temporalibus, ſecus in perpetuis, ſeu benedictis, Sed eſt ſine fundamento limitatio, cum eſſe perpetuam, aut temporalem non variet iuriſdictonem. Concedo autem Manueli Roderico, nullum ſpeciale priuilegium Moniali huiuſmodi ex profeſſione hoc in caſu concedi, cum capax non ſit Ordines ſuſcipiendi. Alij enumerantur Religioſæ profeſſionis. effectus, nempe purgatio inhabilitatis ad temporales actus ratione delicti commiſſi: vt ſi ex furto, falſove teſtimonio inhabilis factus ſis ad teſtimonium ferendum. Ingratudinis nota aboletur, id eſt, macula, ſeu nota ingratitudinis antea commiſſæ, ob quam filius exhæredari poterat vel legitima parẽtis portione priuari. Denique irritatio matrimonij ſubſequentis, & antecedentis rati.

# CAPVT VII.

## *Circa Caſtitatem, ac Paupertatem Religioſam.*

### DVBIVM XX.

*Differentia voti ſolemnis Caſtitatis à voto ſimplici, eſtne neceſſario in confeſſione exprimenda?*

94 *certa refero de caſtitatis voto ſolemni, ac ſimplici.* CERTVM eſt, Religioſum ex caſtitatis voto obligari primò ad abſtinendum à coniugio, niſi votum faceret iuxta normam militum Ordinis Alcantaræ, Calatrauæ, & D. Iacobi, qui non emittunt abſolutæ caſtitatis, ſed coniugalis tantùm votum emittunt. Præterea obligatum eſſe, abſtinere ab omni actu tam interno, quam externo venereo: ita vt delinquens contra caſtitatem, ſimul contra votum peccet, ſacrileguſque exiſtat. Si violatio caſtitatis mortalis ſit, mortale eſſe peccatum contra votum: ſi venialis, veniale. Hoc autem intelligendum eſſe in caſtitatis propriæ violatione, non in alienæ. Nam ſi tuo facto, vel aſpectu per ſe veniali alius ad mortale induceretur: peccares ex praua intentione lethaliter ex ſcandalo: ſed aduerſus votum venialiter ſolùm, quia votum caſtitatis non ſe extendit ad caſtitatem alienam conſeruandam. Sanchez *libro quinto Decalog. capite ſexto numero decimo* aduertit. Certum denique, violationem voti caſtitatis ſolemnis à voto ſimplici aliqualiter differre vt ex ſe patet. Quæſierim autem, an hæc differentia ſit neceſſario in Confeſſione declaranda?

Declaranda neceſſariò eſt: Quia votum ſolemne à ſimplici eſſentialiter differt. Sic nonnulli, quos citat Sanchez *lib. ſeptimo de matrim. diputat. 27. num. 23.* 95 *Eſt declaranda circunſtantia voti ſolẽnis.*

Non eſt neceſſariò declaranda. Quia differt votum ſolemne à ſimplici non eſſentialiter, ſed accidentaliter differentia notabiliter aggrauante. At circunſtantia notabiliter aggrauans eſt neceſſario in Confeſsione aperienda: Ergo. Ita alij apud eundem Sancium. 96 *Non eſt neceſſario declarãda.*

Ego quidem verius exiſtimo cum eodem Doctore *numero 27.* non oportere exprimere, an votum ſit ſolemne, vel ſimplex, modo explices te voto eſſe ligatum, quia hæc differentia non in obligatione, caſtitatis ſeruandæ, ſed in matrimonij contrahendi irritatione conſiſtit, qui effectus vtpotè omninò extrinſecus, & accidentalis obligationi caſtitatis, eius violationem aggrauare non poteſt. 97 *Idem aſſero*

### DVBIVM XXI.

*Si Religioſus Ieſuita poſt vota bienniȷ de facto via teſtamenti, donatione, aut renunciatione de ſuis bonis, inſcio ſuperiore, diſponat: an diſpoſitio hæc proculdubio illicita erit valida?*

CErtum eſt, votum ſolemne paupertatis Religioſum priuare iure, ac dominio pecuniæ, aliarumque rerum pecunia æſtimabilium. & reddere inhabilem acquirendi. *Cap. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum* & Tridentin. *ſeſſio 25. capite ſecund. de Regular.* Votum vero ſimplex, quale emittitur ab Scholaribus, & Coadiutoribus ſocietatis noſtræ expleto biennio probationis, nec tollere dominium habitum, nec reddere incapacem acquirendi, vti expreſsè deciditur à Gregorio XIII. in *Bulla, Aſcendente Domino,* & habetur *parte quarta conſtitution. capite quarto lit. E.* Quod quidem Religioſo ſtatui 98 *Plura de voto paupertatis recolo.*

non obſtat, cum ex vi voti illi obligentur, dominio eo non vti abſque ſuperioris voluntate, & ex alio capite expedit Societatis regimini: vt ſic liberius, & minori cum offenſione dimitti, ſi opus fuerit, è Societate valeant, vti dixit, Gregorius *vbi ſ.* Profectò Societatis alumnus diſponens de his rebus, de quibus dominium habet non conſcio, & approbante ſuperiore, ſi diſpoſitio alicuius momenti ſit, certum eſt peccare mortaliter, quia votum paupertatis hoc ſpecialiter reſpicit, ne hi Religioſi re propria tanquam propria vtantur. Ex quo fit via teſtamenti, renunciatione, aut donatione de his bonis diſponẽtes ſuperiore non approbante, etiamſi ſit in pauperes, & iuxta conſtitutionis normam, mortaliter peccaturos Sic deciditur *Congregat. gener. 5. & decreto 7. & 39.* traditque Suar. *tom. 4 de Relig. tract. 10 l. 4 cap 6. numero 3.* Quæſierim verò, ſi de facto via teſtamenti, donatione, aut renunciatione de ſuis bonis, inſcio ſuperiore, diſponeret, eſſetne valida diſpoſitio.

99 *Non eſt valida diſpoſitio.*

Valida non eſſet, quia Religioſus poſt votorum emiſſionem non eſt ſui iuris, ſed Religionis, eiuſque voluntas omninò eſt Prælato ſubiecta: ergò nequit validè, eo non approbante, diſponere. Sic Leſſius *l. 2. c. 4. dub. 5. n. 28.* Molina *t. 1. de iuſt. d. 139. verſ illo, qui tempore.*

100 *Valida eſt.*

Eſſet omninò valida, quia hæc diſpoſitio nec iure naturali nec poſitiuo eſt irrita, cum ſit diſpoſitio rerum, quarum Religioſus habet Dominium, & adminiſtrationem: & licet illam habeat impeditam ex virtute Religionis ob paupertatis votum: hoc non tollit, quominus ſi de facto diſponat, valida non ſit diſpoſitio, quia votum non tollit dominium, nec annullat diſpoſitionem: ſed eam infidelem reddit: nullum verò eſt ius poſitiuum nec Canonicum nec Societatis, quod talem diſpoſitionem reddat irritam: ergò aſſerendum eſt validam eſſe. Ita Suar. *tomo 4. de Relig. tract. 10. l. 4. cap. 6. num.* 12. Sanchez *l. 7. Decal c. 18. n. 28. & c. 8. n. 25.* vbi ſpecialiter de teſtamento loquitur Laym. *l. 4. tra. 5. cap. 7. n. 3.*

101 *Cum his probabilius opinor.*

Cum his probabilius opinor, monens quidem, etſi valida ſit diſpoſitio huiuſmodi, irritari tamen poſſe, & reuocari à Prælato ob poteſtatem dominatiuam, quam in ſubditi voluntatem, & in eius actiones habet.

---

## DVBIVM XXII.

### *Statuto ciuili poteſtne Monaſterium, alias capax ſucceſſionis, ab ea excludi?*

102 *Nonnulla circa Monaſterij ſucceſſionem notato.*

PRæmitto, alia Monaſteria eſſe ſuccedendi capacia vel ipſo iure, vel ex Religioſi voluntate: alia vero incapacia vtroque modo. Religioneſque omnes (præter Minores de Obſeruantia, & Capucinos, & Societatem Ieſu) ſuccedere Religioſo profeſſo nihil de ſuis bonis diſponenti. Colligitur ex Tridentin. *ſeſſ. 25. cap. 3.* vbi omnium Religioſorum Monaſteriis tam virorum, quam mulierum (exceptis domibus S. Franciſci Capucinorum, & eorum, qui Minores de Obſeruantia vocantur) concedi immobilium poſſeſſionem, & conſequenter ſucceſſionem hæreditariam. Minores de Obſeruantia, & Capucinos excepit ob eorum ſingularem paupertatem. Et licet Societatem Ieſu Concilium non exceperit, ſed potius viſum fuerit, ſub priuilegio omnibus aliis Religionibus conceſſo comprehendiſſe; quia tamen non obligat Religiones eo priuilegio vti, ideo poſſunt ei renunciare, ſi iudicauerint expedire. Sic Societas noſtra nullam Religioſorum ſuorum ſucceſſionem ab inteſtato admittit. Hinc fit profitentem in Religione Minorum, & Capucinorum & Societatis Ieſu abſque ſuorum bonorum diſpoſitione, non poſſe de eis amplius diſponere, ſed hæredes ab inteſtato ſuccedere. Quia ex vi profeſſionis omnium ſuorum bonorum dominium amiſit: & cum ipſo iure Monaſterium non ſuccedat, fit conſequenter, ne bona illa domino careant, hæredibus ab inteſtato competere. Sanch. *l. 7. Decal. cap. 25. num.* 21. plures citans. Monaſteria verò, quæ Religioſis ſuccedunt, id habent ex iure Eccleſiaſtico, & ciuili, non ex naturali. Ex ciuili quidem *§. ſi qua mulier. Anthent. de Sanctis Epiſcop.* Et alibi: ex Eccleſiaſtico liquet ex Gregor. Mag. *capit. quia ingredientibus 19. quæſtion. 3.* Ex his quæſtio exoritur, an iure ciuili poſſit excludi Monaſterium à ſucceſſione bonorum ex perſona Religioſi prouenientium, ſi capax ſit ſucceſſionis?

Poteſt quidem, quia iure ciuili hæc ſucceſſio eſt illi conceſſa; ergò poterit iuris conditor eam conceſſionem reuocare. Sic Menchaca *de ſucceſ. creat. l. 3. §. 21. numero* 179. & alij. 103 *Poteſt excludi à ſucceſſione.*

Minimè poteſt, quia priuilegium Eccleſiæ conceſſum & ab ea acceptatum nequit qui iuris ſuperior nõ eſt, derogare. Et quia ſucceſſio hæc non tantum iure Ciuili, ſed Eccleſiaſtico eſt ſtatuta: at iuris ciuilis conditor ſtatuta Eccleſiaſtica abrogare non poteſt: ergò nequit hanc Monaſterij conceſſionem derogare. Ita Menoch: *conſ. 196. num. 32. vol. 2. & de præſumpt. l. 4. præſumpt. 83. n. 24.* Couar. *de pactis p. 3. §. 2. num. 4.* Sanchez *l. 7. Decal. capit. 25. numero* 18. Zeuall. *qq. commun. quæſtione 423. fin.* 104 *Excludi non poteſt.*

Ego autem exiſtimo, eſto ſtatuto ciuili Monaſteria excludi non poſſint à ſucceſſione ob perſonam Religioſi: conſuetudine tamen introduci id poſſe. Nam cum hæc ſucceſſio non iure naturæ, ſed poſitiuo Monaſteriis competat, derogari conſuetudine poterit: ſicuti in Regnis Galliæ factum eſſe aſſerit Couar. *citatus*, lege Sancium *l. 7. Decal. capit. 12. numer.* 14. optimè annotat, debere ſpatio quadraginta annorum hanc conſuetudinem præſcribi. 105 *Auctoris reſolutio.*

DVBIVM

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

## DVBIVM XXIII.

*Religioſo profeſſionem emittente, competitne vſusfructus bonorum illius Monaſterio?*

106 *Non competit.* VSusfructus Monaſterio non competit, ſed profeſſione Religionis extinguitur, quia profeſſione Religioſus quaſi mortuus cenſetur, ac vſufructuarij obitu vſusfructus extinguitur, §. *fin inſtit. de vſufructu.* Et quia vſusfructus nequit manere in Religioſo cum ſit incapax ob votum paupertatis habendi proprium. Neque poteſt in Religionem transferri, cum ius tranſmiſſibile non ſit iuxta textum *in §. fin. citatum, & leg ſi vſusfructus* 67. *ff. de iure dotium:* ergò extinguitur. Sic Gloſ. *ad caſi. ſi qua mulier,* 19. *quæſt.* 3. Zeuall. *opin. commun quæſtion.* 64. *fine.* Fachin. *l.* 6. *controu. capit* 12.

107 *Competit. quidem.* Vſusfructus apud Religioſum profeſſum manet, commoditas verò Monaſterio inhæret, quia non videtur inconueniens, Religioſum capacem eſſe proprij, cuius nullam diſpoſitionem habeat: ſicut non eſt inconueniens, coniugatum, manente coniugij vinculo, fieri Religioſum. Ita Couar. *de teſtam. cap.* 2. *num.* 9. Anton. Gomez *leg.* 48. *Tauri, numero* 8. Molin. *tom* 1. *d.* 9. *circa finem.* Et probabile reputat Suarius *tom.* 3. *de Relig. cap.* 13. *num.* 6.

108 *Mediam ineo viam.* Mediam ineo viam, aſſerens, vſumfructum minime extingui profeſſione ſed Monaſterio acquiri, durante Religioſi vita, lege ſic diſponente. Non extingui, eſt conſtans fere omnium Doctorum placitum. Adquiri Monaſterio hic probo, quia generale eſt, omnia iura, & actiones Religioſi in Monaſterium transferri, *Authent. ingreſſi, C. de Sacroſ. Eccleſ.* Et quia Religioſus voto ſolemni paupertatis non ſolum vſu, ſed qualibet proprietate priuatur: ergò vſusfructus Monaſterio acquiritur. At quia non acquiritur ex conſenſu, ac voluntate domini proprietatis: ſed ex lege, ſeu conſuetudine recepta, qua conſtat in Monaſterium eſſe hoc ius tranſlatum: ea de cauſa non amplius durat, neque extenditur, quam extenderetur, ſi Religioſus ille ſæcularis eſſet. Vnde Religioſi morte vſusfructus finitur; niſi forte eſſet relictus pro ſe, & hærede ſuo, quia tunc nouus vſusfructus in Monaſterio conſtituitur: ideò centum annis durare debet. Nam id tempus definitum eſt vſufructui directè Monaſterio relicto, *leg. an vſusfructus, ff. de vſufructu,* & *leg. Regia* 26. *tit.* 31. *part.* 3. Doctrinam autem limito, vt procedat in Religione ſuccedendi capaci. Nam in Ordine habendi proprium incapaci non acquiritur vſusfructus, ſed perit, & cum proprietate conſolidatur, eo quod nec in Religioſo, neque in Religione manere valeat. Suar. *t.* 3. *de Relig. l.* 8. *c.* 13. *n.* 4. Sanch. *l.* 7. *Decal. c.* 13. *n.* 53.

## DVBIVM XXIV.

*Monaſterium ſucceditne in maioratu habente clauſulam expreſſam, vel tacitam excludentem Religioſos: ſi Religioſus eum ante profeſſionem poſſideat?*

HAbet maioratus clauſulam expreſſam Religioſos excludentem: vel tacite illos excludit eo quod inſtitutus eſt cum iuriſdictione in aliquod Oppidum, vel ad conſeruandam agnationem, vel cum onere deferendi arma & familiæ nomen: in quibus caſibus iuxta omnium ſententiam, non ſuccedit Religioſus profeſſione emiſſa, nec ratione illius Monaſterium. Quæſierim, an idem dicendum ſit quando ante profeſſionem Religioſus ſucceſſerat, & illum maioratum poſſidebat? 109 *Status quæſtionis.*

Non eſt idem dicendum, ſed Monaſterium ſuccedere, quià licet Monachus, & ratione illius Monaſterium incapax ſit acquirendi de nouo eum maioratum: ad retinendum verò illum capax eſſe poteſt; nam plura requiruntur ad nouam rei acquiſitionem, quam ad conſeruationem illius. Deindè quia ſola inſtitutoris voluntate Religioſus poteſt priuari maioratu acquiſito: at inſtitoris voluntate excludente Religioſos à ſucceſſione, non priuatur Religioſus maioratu acquiſito, ſed ſolum acquirendo; quia ſolùm priuatur ſuccedere: eo autem caſu non ſuccedit Religioſus, ſed ſucceſſionem continuat. Sic Mieres *de maioratu, p.* 2. *q.* 3. *n.* 33. 110 *Monaſterium ſuccedit.*

Dicendum idem eſt, nempe non ſuccedere Monaſterium, ſed maioratum ad ſequentem ſucceſſorem tranſire, quia inſtitutor excludens Monachos à ſucceſſione maioratus Monaſterium ſucceſſorem excludit, ipſa enim profeſſione & Monachus, & Monaſterium erat excluſum. Ita Sanchez *l. ſept. Decal. c.* 15. *capit.* 31. Molina *l.* 1. *de primog. cap.* 13. *num.* 93. Molina noſter *tom.* 3. *de iuſt. d.* 623. *num.* 3. Manuel. *tom.* 2. *qq. Regul. quæſt.* 78 *a.* 12. Palao *t.* 3. *d.* 3. *de ſtatu Relig pun.* 4. §. 3. *num.* 4. aſſerens hanc ſententiam probabiliorem eſſe. 111 *Non ſuccedit Monaſterium.*

Attamen, eius venia, primam crediderim veriorem exiſtere. Nam ad Monaſterij excluſionem clariſſimæ coniecturæ voluntatis inſtitoris deſiderantur, quando excludit illud, vt optimè probat Couar. *l.* 1. *variar. capit.* 15. *numer.* 11. quæ tamen in præſenti caſu non apparent: cum ſatis congruenter dici poſſit, voluiſſe excludere à noua maioratus ſucceſſione, non ab antiqua. Equidem hæc ſententia Religioni fauet, ideoque eam lubens defendo. 112 *Primæ ſententiæ adhæreo.*

## DVBIVM XXV.

*Emphyteuſis conceſſa ea conditione, ne ad Eccleſiam, aut perſonam potentiorem transferatur: tranſitne adhuc ad Monaſterium ſuccedendi capax?*

113 *Tranſit quidem.* TRanſit quidem; quia intelligi debet hæc conditio de tranſactione voluntaria, & directa poſſeſſoris: non de tranſlatione indirecta, & in conſequentiam, & à lege inducta: qualis eſt, quæ profeſſione Religionis inducitur. Sic Felin. *cap. in præſentia, num. 36. & 49. de probationib.* Syluest. *v. Emphyteuſis, quæſt. 20. num. 27.* Manu. *tom. 2. qq. Regul. quæſt. 78. a 9.* Sanchez *l. 7. Decal. cap. 15. num. 65.*

114 *Non tranſit.* Minimè tranſit, quia finis apponentis eam conditionem fuit, ne dominus proprietatis ob Eccleſiæ priuilegia, aut emphyteutæ potentiam obſequio debito priuetur: qui in tranſlatione directa ac indirecta procedit. Alias etiam fiſcus ſuccederet in Emphyteuſi prohibita alienari, emphyteuta delictum confiſcationi obnoxium committente, (quod Sanch. non concedit) quia etiam hæc eſt alienatio non voluntaria, ſed indirecta, & inducta per legem. Ita Bartol. *Authent. ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccleſ. in 2. lectura, n. 19. ibi.* Bald. *num. 31.* Paulus *nu. 25.* Iaſon *num. 64.* Barbac. *cap. in præſentia, de probation. n. 121.* Velaſcus *conſil. 101. num. 8. tom. 1.* Flores de Mena *addit. ad Gama. decif. 6. n. 2. concl. 3.*

115 *Hoc defendo.* His hæreo. Nam maioratus habens, clauſulam, ne Monaſterium ſuccedat, Monaſterio competeret, quia poſſet quis interpretari, id eſſe intelligendum de ſucceſſione directa, perpetua: & non de temporaria, & per legem inducta. Ne ergò hæc admittantur, dicendum eſt, Emphyteuſim prohibitam transferri ad Eccleſiam nullatenus Monaſterio acquiri. Attamen eſto ſententiæ primæ lubeat hærere, minimè concedendum eſt in perpetuum transferri, ſed ſolum vita Religioſi durante: ne voluntati concedentis emphyteuſim aduerſemur.

## DVBIVM XXVI.

*Hæreditas, & legatum Monacho poſt profeſſionem delatum, deferturne ipſi immediate?*

116 *Status quæſtionis.* NOn procedit quæſtio de profeſſis in Ordine Minorum: in his enim, nec Religioſo, nec Monaſterio defertur hæreditas; ſed aliis hæredibus ab inteſtato. Nec de Religioſis noſtræ Societatis. Nam ſi vota biennij ſola emiſerint, ipſis, & non Collegio defertur hæreditas. Si verò profeſſionem, aut vota coadiutorum formatorum emiſerunt, neque ipſis, neque Collegio hæreditas acquiritur: ſed aliis hæredibus. De aliis itaque Religionibus quæſtio procedit, num hæreditas, & legatum, poſt profeſſionem, immediatè deferatur Monacho an Monaſterio?

117 *Immediatè defertur Monacho, non Monaſterio.* Immediate defertur Monacho, non Monaſterio, eſto in Monaſterij deferatur vtilitatem, quia is, cui defertur hæreditas, adit hæreditatem: at eam Monachus debet adire, vt probat textus *in leg. Deo nobis, §. 1. C. de Epiſcop. & clericis.* Sic Fachin. *l. 6. controu. cap. 16.* Menchaca *de ſucceſſion. l. 3. §. 11. numero 25.* Et alij relati à Sanchez *l. ſept. Decal capit. 12. num. 35.*

118 *Immediatè defertur Monaſterio, non Monacho.* Non defertur immediate Monacho, ſed Monaſterio, quia omnia iura, & actiones Religioſi ſunt in Monaſterium tranſlata, *Authent. ingreſſi. C. de Sacroſ. Eccleſ.* Ergò eſt Monaſterio tranſlatum ius adeundi; quia hoc ius eſto non ſit directè tranſmiſſibile, eſt tamen tranſmiſſibile in directè, & per conſequentiam ad tranſlationem perſonæ. Cùm ergò Religioſi perſona in Monaſterium transferatur, ipſique incorporetur: tranſlatum cenſeri debet ius adeundi. Ita Couar. *de teſtament. cap. primo numero 21.* Moli. *tomo primo de iuſt. d. 140. verſ. Non ſolùm* Sanch. plures referens *l. 7. Decal. c. 12. n. 36.*

119 *Veriorem hanc partē eſſe indico, quam magis expen.* Veriorem hanc partem eſſe indico. Nam voto paupertatis Religioſus incapax fit dominio hæreditatis, eiuſq; proprietate, ſic iure diſponente: atſi ipſi immediatè hæreditas deferretur, ipſeque nomine proprio adiret: capax dominij eſſet: neque valet dicere, id in Monaſterij vtilitatem exundare; aliàs enim poſſet omnium bonorum ſuorum dominium retinere, facta profeſſione, eſto in Monaſterij vtilitatem: quod nullatenus eſt concedendum. Cæterum quia probabile eſt, hæreditatem, & legatum immediatè Religioſo in Monaſterij vtilitatem deferri, ipſumque eam adire poſſe; monuerim, ex conſenſu Prælati eam adire debere, ne proprietarius fiat. Quod ſi abſque eius conſenſu legatum acceptet, & hæreditatem adeat: valet acceptio; quia hæc non poteſt Monaſterio præiudicare; at hæreditatis aditio non tenet; quia in his, quæ Monaſterio poſſunt præiudicare, qualis eſt hæreditatis aditio, nequit Religioſus abſque Prælati conſenſu validè præſtare. Sanchez Mecum *l. 7. Decal. cap. 12. nu. 37.* Leſſius *l. 2. cap. 41. dub. 11. n. 87.*

## DVBIVM XXVII.

*A Tridentini tempore interdictumne eſt Religioſis peculium?*

120 *Præmittitur iuris antiqui ac noui prohibitionem.* ORitur quæſtio hæc ex iure antiquo, & ex nouo Trident. Nam antiquum ſolum conceſſit Religioſis peculium ex cauſa adminiſtrationis, *cap. Monachi de ſtatu Monachor.* Trident. *vero ait ſeſſ. 25. c. 2. Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum liceat, &c. bona immobilia, vel mobilia cuiuſcumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo*

*modo ab eis acquiſita tanquam propria, aut etiam nomine conuentus poſſidere, vel tenere: ſed ſtatim ea ſuperiori tradantur, Conuentuique incorporentur. Neque deinceps liceat ſuperioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere etiam ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum, ſeu Conuentuum ad ſolos Officiales eorundem ad nutum ſuperiorum amouibiles pertineant.* Porro ante Tridentinum poterant Religioſi poſſidere aliqua bona mobilia, vel immobilia ad ſui ſuſtentationem, & vſum dependenter à voluntate ſuperioris: eſto dominium illorum bonorum penes Monaſterium fuerit. Suar. *tomo tertio de Relig. l. octauo capit. 14. numero quart.* Verum à tempore Tridentini quæſtio procedit, & requiro, num peculium ſit Religioſis interdictum, peculium, inquam, id eſt retentio bonorum præcipue immobilium, non quidem ad præſentaneum vſum, ſed ad vſum acceſſu temporis contingentem.

121 *Interdictũ per Tridentinum Religioſis peculium eſt.*

Interdictum eſt, quia Concilium prohibet Religioſis retinere bona ſiue mobilia, ſiue immobilia, etiam nomine Conuentus: ſed præcipit ea ſuperiori tradere, Conuentuique incorporari: negatque ſuperioribus poſſe alicui Regulari concedere facultatem, bona ſtabilia ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam, ſed iubet per Officiales Conuentus adminiſtrari; quæ quidem omnia peculio repugnant. Sic Valent. *ſecund. ſecunda d. prima quæſtion. quart. pun. tertio corol. quart.* Sanchez *l ſept. Decal. c. 22. numer. 7.* Corduba *ſum. quæſt. 54.* Manu. *to. 3. qq. Regul. quæſtion. 29. a. 12.* Moli. *t. 2. d. 276.* Nauarra *l. 3 de reſt. c. 1. p. 3. dub. 1. num. 163.* & alij apud ipſos.

122 *Non eſt interdictum ex ſuperioris licentia.*

Non eſt interdictum peculium Religioſis ex ſuperioris facultate, quia Tridentinum nihil noui ſtatuit, quod iure antiquo ſtatutum non eſſet, *cap. Monachi*, eſto, clarioribus verbis id expreſſerit. Nam licet prohibuerit bonorum immobilium, & mobilium poſſeſſionem, etiam ad vſum, ac nomine Conuentus: id debet intelligi abſque cauſa iuſta, vel ad quemcunque vſum, ſiue neceſſarium, ſiue ſuperfluum. Et eodem modo explicanda eſt prohibitio ſuperioribus facta, ne bona immobilia ſubditis concedant etiam ad vſum, ſeu adminiſtrationem, ſcilicet crebro, & abſque cauſa iuſta, vel ad vſus profanos, ac ſuperfluos: ergò ſtante legitima cauſa, optime poterit ſuperior peculia, bonorumque immobilium adminiſtrationem Religioſis permittere ad vſus honeſtos, Religionique conuenientes. Quod confirmatur ex plurium Religionum vſu, præcipue fœminarum, qui ſi Concilio contrarius eſſet, non ita facile permitteretur. Ita Nauar. *comment. 2. de Regular.* Sa *v. Religio, num* 48 Manu *tomo 2. qq. Regul. quæſt. 125. a 4.* Sanchez *l. 7. Decal. cap. 22. num. n.* Miranda *in Manua. Prælat. t. 1. q. 28. a. 8.* Graf *p. 1. deciſ. l. 5. c. 5. n. 53.*

123 *Auctoris reſolutio.*

Profecto ſi Concilij verba ſpectem, primam ſententiam omninò tenendam indicabo, *Ne* (inquit) *deinceps liceat ſuperioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere.* Verbum enim *Deinceps* indicat ab illo puncto prohibitionem eſſe, eſto antea nulla fuerit. Præterea præcipit, ne ſuperiores ſubditis neceſſaria negent: ſupponit ergo, immediate à ſuperioribus prouidendos eſſe, & non ex ſeruato ſibi peculio. At dum video receptam apud Moniales conſuetudinem habendi annuos redditus: & aliqua bona mobilia, & immobilia paſſim aliquibus Religioſis concedi adminiſtranda ea conditione, vt penſionem aliquam conuentui reddant, & reliquo vtantur: cenſeo rigorem Concilij conſuetudine temperatum eſſe; ac proindè ex illa licitum eſſe ſingulis Religioſis ex ſuorum prælatorum conſenſu bona mobilia, ſeu immobilia habere, vt inde ſibi proſpiciant, & in vſus honeſtos expendant. Si enim Tridentini decreto ſtatutum eſt, vt ſingulis Religioſis neceſſaria miniſtrentur, quod in pluribus Religionibus ob earum inopiam aliaſque cauſas non obſeruatur: quod mirum, quod peculia hac occaſione in ipſis ſint introducta? Mecum Baſil. Ponti. *q. ſchol. 9.* Et probabile reputans Vaſquez *opuſc. de reddit. c. 3. d. 2.*

---

## DVBIVM XXVIII.

*Si Fratres Minores non abſolute hæredes inſtituantur, ſed adiecta clauſula, vt hæreditas vendatur, & in ipſorum vtilitatem pretium cedat: valetne inſtitutio?*

124 *Nonnulla præmitto.*

CErtum eſt, omnes Religioſos capaces ſucceſſionis eſſe, Minores, & Capucinos ſi excipias (mitto in præſenti quid de noſtra Societate aſſerendum ſit, de qua *lib. 58.* ſermo recurret.) Tridentin. *ſeſſ. 25. cap. 3. Clement. Exiui, de verb ſignific.* Minores itaq; & Capucini incapaces ſucceſſionis ſunt tam ex teſtamento, quam ab inteſtato: tam immediate, quam mediate. Vndè infero, ſi de facto Minores, vel Capucinos hæredes quis inſtituat, nullam eſſe inſtitutionem vtpote factam in perſona incapaci: ſuccedentque hæredes ab inteſtato, ſi nullum alium cohæredem, aut ſubſtitutum deſignauerit. Eo autem deſignato, integram poteſt hæreditatem adire. Quæſierim verò, ſi non abſolutè Minores inſtituantur hæredes, ſed clauſula adiecta, vt hæreditas vendatur, & in ipſorum vtilitatem cedat pretium, an valeat inſtitutio?

125 *Inſtitutio valet.*

Valet planè, quia eo caſu hæreditas videtur in legatum conuerti, & Minores legatarios quidem, non hæredes eſſe. Addo, in illa diſpoſitione duo ſeparabilia contineri, ſcilicet Minores hæredes inſtitui, & hæreditatem vendi, pretiumque illius Minoribus ad ſubleuandas eorum neceſſitates applicari. Poterit ergò hæc ſecunda diſpoſitio ſubſiſtere, licet prima corruat. Sic. Bartol. *tr. de Minoric. l. 1. diſt. 5. c. 2. num. 30. & 31.* Sorbus *in compend. priuil. Mendic. v. Hæreditas, verſ. Quæritur.* Manu. *t. 2. qq. Regul. q. 78 a. 4.*

126 *Non valet Inſtitutio.*

Minimè valet inſtitutio, vnde Minores pretium illius hæreditatis capere nõ poſſunt, quia alias acciperent inſtitutionis pretium,

quod illis eſt penitus interdictum. Neque eſt ſimile, cum tertius inſtituitur hæres cum obligatione vendendi hæreditatem, & donandi pretium Fratribus minoribus: quod fere omnes Doctores approbant, quia tunc Minores non recipiunt pretium ex inſtitutione, ſed ex legatione, mandatoque teſtatoris, & donatione obligatoria hæredis inſtituti. At cum Minores inſtituuntur cum clauſula, vt vendatur hæreditas, pretiumque illius recipiant: pretium hæreditatis, cuius ſunt incapaces, recipiunt: igitur inſtitutio non tenet. Ita Baldus *Authent. ingreſſi num.* 50. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* Felin. *cap. in præſentia de probationib. num* 52. Duennas *reg* 381. *ampliat.* 8. Cordub. *reg. D. Franciſ. c.* 6. *quæſt.* 11. *pun.* 3. Sanch. *l.* 7. *Decal. cap.* 25. *num.* 11.

127 *Hoc longè probabilius.* Hoc longè probabilius eſſe crediderim. Nam venditio hæreditatis & pretij acceptio eſt modus, & qualitas adiecta inſtitutioni: ergò corruente inſtitutione, corruet venditio, & pretij acceptio, vt potè omninò acceſſoria, ipſique innitens.

## DVBIVM XXIX.

*Si quis instituat non Minores ipſos, ſed eorum Eccleſiam, vel Sacriſtiam valetne inſtitutio?*

128 *Valet equidem.* VAlet equidem, quia Eccleſia quælibet, ſeu Templum capax eſt hæreditatis, *leg.* 1. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* Sed Templa Ordinis Seraphici nullo iure ab huiuſmodi capacitate excluduntur. Nam textus *in Clemen. exiuit*, Religioſos excludit, non Eccleſiam, vel Sacriſtiam. Sic Abbas *conſ.* 63. *n.* 4. *l.* 2. Bartol. *tr. Minoric. l.* 4. *diſt.* 4. *&* 6. *cap.* 1. *num.* 20. Anton. Cucus *l.* 3. *inſtit. maiorat. tit.* 1. *num.* 37. Manuel. *tom.* 2. *qq. Regul. qu.* 78. *a.* 5. Et probabile reputat Sorbus *in compend. priuileg. Mendicant. v. Hæreditas, verſ. ſed cum fratres.*

129 *Non valet.* Non valet, quia excluſis Religioſis, Eccleſia eorum manet excluſa. Non enim ipſum Templum materiæ, vel Sacriſtia hæres inſtituitur, quippe nec velle, nec nolle habet: ſed Religioſorum congregatio ibidem aſſiſtens. Certè ſi prima ſententia probanda eſſet, conſtitutio denegans Minoribus etiam in communi hæreditariam ſucceſſionem prorſus labefactaretur, cum facile teſtator optans Minoribus hæreditatem relinquere, poſſet omiſſo nomine conuentus, Eccleſiæ appellatione vti. Ita Bartol. priorem retractans ſententiam *leg. vni. ſine. C. de conductorib. l.* 11. Bald. *Authent. ingreſſi nu.* 55. Corduba *Reg. D. Franc. cap.* 6. *quæſt.* 11. *punct.* 1. Sorbus *vbi ſ.* Azorius *tomo* 1. *l.* 12. *cap.* 23. *quæſtion* 15. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez *l.* 7. *Decal. c.* 25. *num.* 14.

130 *Hoc probabile eſſe defendo licet contrarium probabilius.* Validam eſſe huiuſmodi inſtitutionem vt ſatis probabile defendo, licet non poſſim non fateri contrariam ſententiam eſſe probabiliorem. Nam ſi teſtator vellet congregationem Religioſorum hæredem immediate inſtituere, non exprimeret Eccleſiam, ſed conuentum. Exprimens autem Eccleſiam, tacitè Præfectum illius inſtituit. Cum autem hic nullus alius ſit niſi Pontifex, & illius nomine ſyndicus, qui hæreditariæ ſucceſſionis capaces ſunt, ſi, validam eſſe hanc inſtitutionem, obligatumque eſſe Pontificem, & eius nomine ſyndicum ex vi illius, hæreditatem in Eccleſiæ materialis reparationem, conſeruationem, & ornatum expendere; quia ad hunc finem ſunt hæredes inſtituti. *eſſe fateor.*

## DVBIVM XXX.

*Quis hæredem, vel legatarium inſtituit ſub obligatione reddendi annis ſingulis penſionem Minoribus: valetne legatum?*

REgulam generalem præmitto: omnes Religiones (præter Minores de obſeruantia, & Capucinos) capaces ſunt cuiuſlibet legati & donationis, ſiue rei mobilis, ſiue immobilis. Tridentin. *ſeſ.* 25. *capit. tertio.* Porro Minores & Capucini incapaces ſunt legati continentis totam hæreditatem, vel maiorem illius partem. Et legati rei immobilis, vt illud ſic retinere valeant. Certa hæc. Dubito autem, an ſi quis hæredem, vel legatarium inſtituat ſub obligatione reddendi ſingulis annis penſionem Minoribus, valeat legatum. 131 *Certum ſuppono.*

Non valet, quia hi verè ſunt annui redditus perpetui, quorum Minores ſunt incapaces. Sic Bartol. *tr. Minoric. l.* 2. *diſt.* 6. *cap. num.* 33. Abbas *cap. in præſentia, de probation. num* 63. Nauar. *l.* 3. *conſil. tit. de teſtam. conſil.* 14. *alias* 8. Sanch. *l.* 7. *Decal. cap.* 26. *num.* 46. alios citans. 132 *Non valet legatum.*

Valet equidem, quia licet hæredi, vel principali legatario imponatur obligatio perpetua donãdi Minoribus annuos redditus: at hæc obligatio non eſt ex iure aliquo ciuili Minoribus acquiſito; ſed ex hæreditate relicta à teſtatore, & comparatione illius, ſicuti ſi tuo famulo donares diuitias pauperibus diſtribuendas famulus obligatus eſſet pauperibus donare, non ex iure aliquo, quod pauperes acquiſierint; ſed ex tuo imperio, ac diſpoſitione. Ita Syluest. *v. legatum* 2. *quæſt.* 3. *dicto* 3. Angel. *eodem* 1. *numer.* 5. Tabien. 1. *quæſt.* 4. *numero* 5. Manuel *tom.* 2. *qq. Regul. quæſt.* 126. *a.* 4. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 8. *cap.* 17. *num.* 19. *&* 25. Et probabile reputat Sanchez *n.* 35. 133 *Valet quidem.*

Verius hoc eſſe exiſtimo. Nam cum Pontifex prohibet Minoribus annuos redditus, intelligi debet de redditibus, qui comparatione Religioſorum, & de iure ipſis competenti ſunt debiti: non de redditibus, qui comparatione Religioſorum Eleemoſynæ ſunt, & gratis donantur. 134 *Verius hoc eſſe reor.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

## DVBIVM XXXI.

*Profeſſis habentibus deſcendentes legitimos licitum cum ſit bona inter eos diuidere, talis diuiſio habetne teſtamenti rationem?*

135 *Quæſtionis ſtatus.*

CErtum eſt Religioſos profeſſos non poſſe abſque ſuperioris licentia teſtari. At habentibus deſcendentes legitimos concedi bonorum diuiſionem. Verum hæc diſpoſitio iure Canonico non tam ſcripto, quam conſuetudine introducto approbata eſt. Quæſierim vero, an hæc bonorum conceſſa diuiſio habeat teſtamenti rationem?

136 *Habet rationem teſtamenti.*

Habet quidem, quia eſt vltima voluntas quæ morte ciuili confirmatur, ſucceditque loco teſtamenti, quod ante profeſſionem fieri debebat. Sic Azor. *tom.* 1. *l.* 12. *cap* 6. *quæſt.* 5. Suarius *tom.* 3 *de Relig. l.* 8 *cap.* 16. *num.* 2. Gloſ. *ad Cap. Si qua mulier*, 19. *quæſt.* 3. *v. diuidere*, Bartol. *Authent. ſi qua mulier. n.* 10.

137 *Non habet teſtamenti rationem.*

Non habet teſtamenti vim, quia nullum eſt verbum indicans hanc diuiſionem bonorum teſtamentum eſſe; cur ergò aſſerendum eſt, & corrigenda lex generaliter prohibens Religioſis teſtamentum condere præcipuè cum ex hac ſententia Religioſi diuidentes bona fauorem recipiant: quippe ſua diſpoſitio via diuiſionis, & cuiuſdam adminiſtrationis facta firmior perſiſtit, quam via teſtamenti. Nam ex teſtamento oritur actio, quæ diuiſioni denegatur. *Leg. Diuiſionis placitum, ff. de pactis.* Ita Nauar. *comment.* 2 *de Regular. numer.* 45. Leſſi *l* 2. *cap.* 41 *dub.* 10. *num.* 82. Sanchez *l.* 7. *Decal. c.* 9. *n.* 11.

138 *Hanc eligo partē probabiliorem ſane.*

Hanc eligo partem planè probabiliorem. Nam in Hiſpania noſtra, vbi idem numerus teſtium requiſitum eſt pro teſtamento inter liberos ac inter extraneos. *Leg.* 3. *Tauri*, *tit.* 4. *l.* 5. *compilat.* duplici teſte hæc diuiſio contenta erit, quæ ſi eſſet teſtamentum ſeptem teſtibus indigeret. Addo, ſi illa diuiſio teſtamentum eſt, non videtur poſſe ante mortem naturalem confirmari; nam mors ciuilis, quæ eſt profeſſio, præceſſit, qua non obſtante lex concedit teſtamenti factionem: Ergo debet illam concedere iuxta materiam ſubiectam, & teſtamenti conditionem, quæ eſt, vt ſit vſque ad mortem deambulatoria. Dicendum ergò eſt, illam diuiſionem teſtamentum non eſſe, ſed adminiſtrationis actum à lege permiſſum.

## DVBIVM XXXII.

*Patre profeſſo debeturne ſtatim filiis legitima, licet profeſſus non ſit in Ordine ſucceſſionis capaci?*

CErtum eſt, à puncto profeſſionis deberi legitimam filiis, ſi pater profeſſionem emiſit in Religione ſuccedendi incapaci, quia cum tunc illa bona non tranſeant in Monaſterium, neque à Religioſo retineantur: neceſſe eſt, vt deueniant ad filios neceſſarios ſcilicet hæredes. Sanchez *l.* 7. *Decal c.* 10. *num.* 1. Gutier. *l.* 2 *canon. qq. c.* 1. *n.* 93. Hanc doctrinā indubitatam mihi, extēdo ad profeſſos, & coadiutores formatos Societatis Ieſu; quia ipſi, & Religio ratione ipſorum incapaces ſunt proprij retinendi. Quæſtio igitur eſt de patre ingrediente Monaſterium ſucceſſionis capax, an eo profeſſionem emittente ſtatim filiis legitima debeatur? 139 *Certa ſuppono.*

Debetur ſtatim, quia *Cap cum ſimus, de regular.* Pontifex concedit filio Monaſterium deſerente bona paterna, quæ ipſi ex ſucceſſione proueniūt, poſtulare, ex ſucceſſione inquam patris qui profeſſionem emiſerat: ſupponit enim textus patrem, ac filium Religionem iniſſe, patre autem profitente, filium ad ſæculum recurriſſe. Et quia in *Authent. ſi qua mulier.* patri profeſſo permittitur bona inter filios diuidere, quod non videbatur permittēdum, ſi bona profeſſi toto eius vitæ tempore Monaſterio competerent; fieret enim graue Monaſterio præiudicium. Sic Azor *tom.* 1 *lib.* 12 *cap.* 8. *q.* 7. Molina *tom.* 1. *d.* 140. *verſ. An vero ſtatim.* Leſ. *l.* 2. *c.* 41 *dub.* 10. *n.* 86 Sanch. innumeros referens, *l.* 7. *Decalog cap.* 10. *num.* 3. Suar. *tom.* 3. *de Relig l.* 8. *c.* 16. *num.* 7. Nauar. *comment.* 2 *de Regular. num.* 48 *&* 54. Couar. *de teſtam. c. c.* 2 *n* 7. 140 *Debetur ſtatim.*

Non debetur ſtatim, quia ſtatutum à iure eſt legitimam non deberi filio, viuente patre, ſed poſt eius naturalem mortem, *leg.* 1. *§ ſi impubere ff. de collat. bonor. leg. lex Cornelia, ff. de vulgar & pupillar. ſubſtitut.* Sed ab hac generali regula recedendum non eſt abſque manifeſto textu, vel ratione: nullus verò adeſt textus, nec manifeſta ratio probans, à die profeſſionis patris legitimam filiis deberi: Ergo. Ita Matienzo *l.* 5. *recopil. titul.* 4. *l* 3 *gloſ.* 2. *n.* 3. Gutierrez *l.* 2 *canon qq. c.* 1. *n.* 79. Gregor. Lopez *leg.* 17. *v. ſus hijos tit.* 1. *part.* 6 Manu. *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 80. *articul* 2 Palao *to.* 3. *d.* 3 *pun.* 14. *n.* 3. & alij plures apud Sanchez *ibidem num.* 2. 141 *Non ſtatim debetur.*

Primam ſententiam probabiliorem planè defendo. Nam profeſſi nulla poteſt eſſe ſucceſſio, cum nulla bona habeat, ſed omnia illius bona in Monaſterium transferantur: Ergo fruſtra filij eius naturalem mortem expectabunt. Addo, ſi filiis non debetur ſtatim legitima patris, ſed durante eius vita Monaſteriū poteſt illius bona retinere: obligarentur filij alimenta à Monaſterio petere: ipſumque teneretur ea impertire; quod quidem & filiis durū & Monaſterio admodum oneroſum: eſſet 142 *Primam ſententiam præfero.*

quidẽ ſępè ex ſuis bonis obligarẽtur Religioſi filiis illis ſuccurrere legitima parentis non ſufficiente : ſicuti obligatur pater filiis alimenta præbere, cum legitima non ſufficit.

### DVBIVM XXXIII

*Religioſus contrahens ſine facultate ſuperioris obligaturne naturaliter, licet non ciuiliter obligetur?*

143 *Status quæſtionis.* Liquet, Religioſum ex voluntate expreſſa, vel tacita ſuperioris validè contrahere, obligarique naturaliter, & ciuiliter ſtare contractui, quia in eo contractu legitima authoritate inito concurrunt requiſita ad naturalem, ac ciuilem obligationem. Abbas *Cap. Ex reſcripto, num.* 1. *de iureiur.* Felin. *ibi, n.* 1. & alij. Quæſierim verò, an Religioſus contrahens ſine ſuperioris expreſsa, vel tacita facultate, ſaltem naturaliter obligetur?

144 *Non obligatur ciuiliter, nec naturaliter* Non obligatur ciuiliter, nec naturaliter, hoc eſt, nec in foro externo, ne in conſcientiæ foro, quia eius voluntas diſpoſitioni Prælati ſubiicitur. *Cap. Non dicatis,* 12 *q.* 1. ideóque dici aſſolet, Religioſum nec velle, nec nolle habere. *Cap.* 2. *de teſtament. in* 6. Sic Hoſtienſ. *ſum. de fideiuſſor.* §. *pro quo poſſis.* Abbas & Felin. *Cap. Ex reſcripto, de iureiur. num.* 1. Iaſon *leg. ſi id quod ff. de condicti indebiti num.* 1. Zeuall. *commun. opinion. q.* 446. & alij à Sancio *l.* 7. *Decalog. cap.* 31. *num.* 36. relati.

145 *Naturaliter obligatur.* Obligatur ſaltem naturaliter, quia ſi Religioſus ſic promittens, & cõtrahens non obligaretur naturaliter, nec eius fideiuſſor obligaretur: cum receptiſſima ſit Doctorum ſententia principali non obligato ſaltem naturaliter, fideiuſſorem non teneri *leg.* 1. & 2. *ff. de fideiuſſor.* Idemque eſſet dicendum de pignore dato pro ſecuritate obligationis: Profectò nulla eſt lex, quæ magis obligationi Monachi promittentis reſiſtat, quam ſerui obligationi: At ſeruus contrahens ſine domini conſenſu naturaliter obligatur, *Leg. Naturaliter.* & *leg. ſi id quod ff. de condict. indebiti.* Ergò & Monachus contrahens abſque Prælati conſenſu obligabitur. Ita Sanchez *citatus, num.* 37. Abbas *vol.* 1. *conſ.* 10. Sylueſt. *v. Religio, num.* 8 *q.* 3. Azor. *tom.* 1. *l.* 12. *q.* 5. *c.* 11. Leſſi. *l.* 2. *c.* 2. *dub.* 1. *num.* 6. Rebel. *de iuſt, p.* 2. *l.* 1 *q.* 8 *ſect.* 1. *n* 4.

146 *Vtor diſtinctione in vtriuſque ſententiæ concordiam.* Dixerim cum Nauarro *comment.* 2. *de Regular. num.* 42. Religioſum naturaliter obligari ex contractu, qui non ſit contra regulam in genere, nec in ſpecie, donec Prælatus irritet, aut contradicat. At contactus circa temporalia abſque Prælati conſenſu, non ſolum contra regulam, ſed contra votum eſt: Ergò nullam inducit obligationem. Secus vero eſſe de contractu circa actionem perſonalem, qui licet ſit abſque ſuperioris voluntate, non indè infertur eſſe contra ipſam, nec contra regulam: ac proinde obligare poteſt, dum Prælatus non irritat.

### DVBIVM XXXIV.

*In contractibus temporalia reſpicientibus contrahens cum Religioſo obligatuſne eſt, ſtare contractui, expectareque ſuperioris conſenſum?*

Contrahens cum Religioſo ſui Prælati licentiam non habente, circa temporalia tenetur ſtare contractui expectareque conſenſum, vel diſsenſum Monaſterij, vt valeat reſilire. Quia Religioſo cõcedendum eſt, gaudere minoris, ac pupilli priuilegio, qui ſi contrahant abſque authoritate tutoris, vel curatoris cõtractus ex parte ſua claudicat; ei enim ſtare non tenentur: At cum illis contrahentes obligati ſunt, vti deciditur *Inſtit. de author. tutor.* & *leg. Iulianus,* §. *ſi quis à pupillo, ff. de actionib. empti.* Sic Sanchez *l.* 7. *Decal. c.* 31. *numer.* 28. plures citans, quos tamen exiſtimo de contractu ſtipulationis pro Monaſterio facto eſſe loquutos. 147 *Obligatus eſt.*

Contrahens cum Religioſo huiuſmodi, nullam obligationem habet, ſtandi contractui ſed poteſt pro libito reſilire, quia regula generalis eſt in contractibus æqualitatem inter contrahentes ſeruandam eſſe, à qua regula non inuenitur exceptus contractus cum Religioſo factus ſine Prælati licentia: imò nec videtur expediens talis exceptio, ne paupertatis violationis, & contrahentium deceptioni faueat. Ita Leſſi. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 12. *n.* 90. Palao *tomo tertio d.* 3. *de ſtatu. Relig. puncto* 15. *numer.* 7. 148 *Non eſt obligatus.*

Cum his opinor. Nam argumentum aſſũptum ex pupillo, & minore non vrget, quia in priuilegiis, præcipuè à iure exorbitantibus non eſt faciẽda extenſio de vno caſu ad alium, eadem etſi ratio conceſsionis militet, quin imo in caſu noſtro diuerſa eſt ratio. Nam contractibus pupilli, & minoris conceditur illud priuilegium in odium contrahentium, qui præſumuntur intendiſſe eos decipere, vtpote ſeductioni ob defectum ætatis obnoxios. At conſideratio hæc in contractibus cum Religioſo locum habere non poteſt. 149 *Cum his opinor.*

### DVBIVM XXXV.

*Religioſus teneturne ſoluere mutuum malè conſumptum*

Ex delicto Religioſi etiam Prælati, Monaſterium nullam ſatisfaciendi contrahit obligationem Ex contractibus vero ante profeſsionem a Religioſo initis, obligatur Monaſterium pro viribus hæreditatis tantum Ex contractibus autem poſt profeſsionem, nulla eſt Monaſterio obligatio. Vt autem 150 *Nonnulla innuo.*

conſtet

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

conſtet, nec ex mutuo male conſumpto Religioſi Monaſterium obligari, requiram. Vtrũ Religioſus ipſe teneatur id ſoluere, & ex quibus bonis?

151 *Non tenetur ſoluere.* Non quidem tenetur, quia Religioſus filiofamilias comparatur, qui male mutuum expendens, ſoluere non tenetur. §. *penultim. inſtit. quod cum eo, qui aliena: & leg. 1. C. ad Macedonianum.* Sic nonnulli Doctores, quorum meminit Palao *tom. 3. d. 3. de ſtatu Relig. pun. 17. n. 7.*

152 *Soluere tenetur.* Tenetur omninò, quia licet Religioſus filiofamilias comparetur, ex eo quod vterque habet debitam ſubiectionem, ac ſubordinationem, non inde infertur, omnia priuilegia filiofamilias conceſſa Religioſis impendenda eſse, præcipuè cum diuerſa ineſt ratio. Nam filiofamilias conceditur, ne mutuum acceptum & male expenſum ſoluat, ne mortem patris cui ſucceſsurus eſt captet, cauſa illud ſoluendi, quæ ratio ceſsat in Religioſo qui nec Prælato, nec conuentui ſuccedere poteſt. Ita Zeuallos *commun. opin. q. 446. n. 19.* Sanchez *l. 7. Decalog. capite 31. n. 22.* Palao *citatus.*

153 *Auctoris ſententia.* Mea reſolutio eſt, Religioſum obligatum eſſe ſoluere mutuum acceptum, & malè expenſum, vel ratione cõtractus, ſi validus fuit, vel ratione iniuſtæ acceptionis, ſi fuit nullus. Bona autẽ, ex quibus hæc ſolutio faciẽda eſt, sũt ea, quorum Religioſus liberam à Prælato diſpoſitionem habet, nõ bona Monaſterij nullatenus ad huiuſmodi debita ſoluẽda obligatũ

## DVBIVM XXXVI.

*Cum Religioſus ex vno Ordine in alium tranſit, ſecundus ordo hæreditatem, quæ delata fuit Religioſo illi eo tempore, quo in primo morabatur, & prima Religio non adiit, poteſtne adire?*

154 *Certa reſolo.* CErtum eſt, acquiſita durante prioris Ordinis profeſſione, deferre non poſse Religioſum, qui ex vno Ordine in alium ſiue laxiorem, ſiue ſtrictiorem, ſiue æqualem tranſit. Nec hæreditatem, vel legatum plenè priori Religioni acquiſita, ſi legatum abſolutum ſit, illi, ſique capax ille extitit tempore mortis teſtatoris, quia priori Religioni fuit planè acquiſitum abſque dependentia ab hac accidẽtali mutatione. Suarius *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 14. num. 8.* Dubitarim vero, an priori Religione non adeunte hæreditatem Religioſo delatam, poſsit ſecunda Religio, ad quam poſtmodum eſt translatus, illam adire? Pono autem, vtramq; Religionem ſucceſsionis eſſe capacem.

155 *Secunda Religio poteſt hæreditatem adire.* Secunda Religio poteſt adire hæreditatem excluſa priori, quia ad hęreditatem acquirendam non tam inſpicitur tempus, quo alicui delata eſt, quam tempus, quo eam adire poteſt. §. *In extraneo, Inſt. de hæred. qualit. & different.* ibi: Ius hæredis eo maxime tempore inſpiciendum eſt, quo acquirit hæreditatem, quod exemplo ſerui cui delata eſt hæreditas, & ante aditionem dominum mutauit expono. Acquiſitio enim huius hæreditatis non priori domino, ſed ſecundo competit, ſoluſque ſecundus eam poteſt adire, *leg. ſi ſeruus eius, ff. de acquirenda hæredit.* & *leg. 2. § ſi duo ſunt hæredes, ff. de bonor. poſſeſ.* Ratio eſt, quia ius adeundi hæreditatem domino competit ex perſona ſerui, & Monaſterio ex Religioſi perſona. Ergo ſicut translato ſeruo, ad alium dominum, transfertur in illum ius adeundi hæreditatem ſeruo delatam, neque aditam; ſic transferendum eſt in poſteriorem Ordinem translatione Religioſi in eum facta, ſibique imputare debet prior Religio, ſicut & prior dominus, quod hæreditatem non adierit. Sic Bartol. *leg. 2. § ſi ſeruus eius* Bald. *leg. ſi quis mihi, ff. de acquir. hæred.* & alij plures relati à Sancio *l. 7. Decal. c. 31. n. 17.*

Non poteſt ſecunda Religio hæreditatem adire, priore excluſa, quia eo ipſo, quo Monaſterio delata eſt hæreditas ob perſonam Religioſi, quam ſecum habet, cõpetit ei ius eam adeundi. At hoc ius Religioſus mutare non poteſt, neque variare, non enim ab eius voluntate pendet, ſed à lege, Nulla autem eſt lex indicans, tranſmigratione Religioſi in alium Ordinem hoc ius à priori amitti, & à ſecundo acquiri; Ergo. Ita Sanchez. *vbi ſupra num. 18.* Couar *de teſtam. c. 1. num. 21.* Molina *l. 2. de primog. c. 13. n. 36.* Leſ. *l. 2. c. 41. dub. 11. numer. 88.* & alij plures apud ipſos. 156 *Non poteſt.*

Verior mihi ſententia hæc. Concedo enim ad perfectam, ac completam hæreditatis acquiſitionem tam tempus delationis, quam aditionis ſpectari, abnego tamen ex iure competenti Religioni ob delatam ſibi hæreditatem eam adire non poſſe, quia ex perſona Religioſi ſibi incorporata tempore delationis, eam adiit. Neque eſt ſimile de ſeruo dominum mutante, quia domino non competit ius hæreditatem adeundi eo præcisè, quod ſeruo delata eſt, ſed inſuper requiritur, vt ſeruus conſentiat aditioni; at Religioni independenter à Religioſi voluntate, imò illo inuito, ius adeundi competit. Ergo quamuis Religioſus in alium Ordinem transferatur, non obinde ius adeundi priori Religioni quæſitum, amittitur. 157 *Verior mihi ſententia*

## DVBIVM XXXVII.

*Bona delata priori Religioni in conſequentiam perſonæ, Religioſus translatus in aliam, poteſtne in eam deferre?*

AD quæſtionis ſtatum ſuppono, dupliciter bona hæc potuiſse Religioſum hunc priori Religioni deferre, vel ex diſpoſitione iuris, quo ſtatutum eſt, omnia bona Religioſi ſimul cum perſona in Monaſteriũ transferri, & ex conſequentia hic modus nuncupatur; vel ex donatione, aut teſtamento cõdito. Iuxta priorem modum. Quæſtio procedit, num bona delata priori Religioni in 158 *Status quæſtionis.*

conſequentiam

conſequentiam perſonæ Religioſus translatus in aliam, poſſit in eam deferre?

159 *Defer e ea bona poteſt.* Poteſt quidem deferre ſecum in Ordinem ſecundum, quia ſic delata Ordini priori in conſequentiam perſonæ, cum perſona translata debet transferri, vtpotè acceſſoria. Et quia bona illa priori Ordini delata fuere vt ex illis Religioſo alimenta impertirentur. At Ordo hic ex quo Religioſus in alium eſt trãſlatus, non tenetur poſt tranſlationem alimenta ſubminiſtrare, ſed eam obligationem ſuſcipit Religio, in quam denuò transfertur: Ergò huic Religioni debent bona concedi, & à priori auferri. Sic Gloſ. *Cap. Quod à te de Cler. coniugat. fine*, Menoch. *l.* 2. *de arbitr. cent.* 5. *cap.* 436. *à numero* 13. Cardinal. *ad Cap. Quod à te, num. vni. oppoſit.* 4. & alij plures relati à Sanchez *l.* 7. *Decalog. cap.* 32. *numero* 4.

160 *Non poteſt ea bona deferre.* Non poteſt vlla bona, quæ priori Religioni detulit ſecum in ſequentem transferre quia eſto, illa bona in conſequentiam perſonæ Monaſterio translata ſint: at ſunt abſolutè tranſlata abſque dependentia vlla, ſeu cõditione, quod in illo Ordine Religioſus perſeuerabit. Nemo enim talem conditionem appoſuit, cum in iure nullum habeat fundamentum. Neque enim ex eo, quod ius permittit Religioſo tranſitum ad ſtrictiorem ordinem, inferri poteſt, concedere bonorum trãslationem; quę ſunt priori Religioni quęſita: cum parata ſit Religioſum retinere, & alere. Ita Nauar. *comment.* 4. *de Regular. numero* 24. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 5. Molina *tom.* 1. *d.* 140. Azor. *tom.* 1. *l.* 12. *c.* 15. *q.* 3. Sanchez *vbi ſupra num.* 8. & alij apud ipſos.

161 *Longè hoc probabilius* Hoc probabilius eſſe non dubito. Concedo enim bona in conſequentiam perſonæ deferri, ſe non dependenter ab illius in Religione perſeuerantia, quam ius ſemper præſumit. Nego autem bona deferri, vt Religioſus ex illis alatur; ſed potius vt Religio habeat, vnde omnes alere poſſit. Sed eſto bona deferantur, vt Religioſus ex illis alimenta percipiat: id intelligo, dum in ea Religione perſeuerat, ſecus ſi illam deſerit.

DVBIVM XXXVIII.

*Bona, quæ ex liberali donatione quis detulit Religioni priori, translatus in alium ſecundne transfert, Ordinem?*

162 *Secũ trãſfert bona illa.* SEcum transfert, quia hæc bona videtur ille Religioni donaſſe priori, eo quod exiſtimauit, in ea perpetuo victurum. Cum autem hic finis licitè ceſſet translatione in Religionem aliam: reuocari donatioſ debet. Certè Monialium dotes, Monaſterio in alimenta perpetua Monialium conceduntur. Si vero Monialis in aliud Monaſterium transfertur, ceſſat finis, ob quem dos priori Monaſterio fuit conceſſa. Debet ergò ſimul cum Moniali in aliud Monaſterium, quod alimentorum obligationem ſuſcipit, transferri. Sic Abbas *Cap. Quod à te, de Cleric. coniugat. n. vlt.* Roſel. *v. Religio* 4. *numer.* 12. Socin. *vol.* 2. *conſ.* 222. Tapia *Authent. Ingreſſi, v. ſua, cap.* 6. *num.* 10. *Cod de ſacroſ. Eccleſ.* Reduan. *de ſpoliis Eccleſ. q.* 8. *numero ſeptimo* & alij.

Non transfert ſecum, quia abſolutè, (de more) bona illa donauit conuentui priori: ſicuti ſi donatio facta eſſet pauperibus vel Hoſpitali. Vnde ſicut pauperes, & Hoſpitale obligati non eſſent tibi mutanti Religionem bona accepta reddere, neque etiam prior Religio debet obligari. Hanc enim obligationẽ contrahere poterat prior Religio vel ex conditione perſeuerantiæ in donatione imbibita, vel ex alimentis ei Religioſo debitis. At nullum eſt fundamentum, quod in illa abſoluta donatione perſeuerantiæ conditio imbibatur, cum ſemper ius præſumat, quemquam Regulare inſtitutum amplecti animo firmo in eo perpetuo manendi. Ex occaſione autem alimentorum obligatio illum alendi priori Ordini eſſe non poteſt; ſiquidem ſecunda Regio ob profeſſionem in ea factam huiuſmodi obligationem ſubit: ei enim inſeruit, & acquirit. Ita Caſtro Palao *tom.* 3. *d.* 3. *de ſtatu Relig. pun.* 17. §. 2. *n.* 6. 163 *Non tranſfert.*

Profecto ſi Religioſus ille bona priori Ordini ſub conditione expreſsa, quod ſi aliquando contigerit, ſe ad aliam tranſmeare, bona illa in ſequentem Religionẽ transferantur: non dubito, eum translatum ſecum illa bona transferre, quia hæc bona non fuére priori Ordini plenè acquiſita, ſed dependenter à Religioſi perſeuerantia. At ſi abſque hac expreſſa conditione donauit, vt fere ſemper accidit: cenſendus eſt abſolutè donaſſe, nec ius habet, ad bona illa in alterum Ordinem transferendi. Certè concedens Moniales dotẽ Monaſterio concedere in ſui alimenta: vnde infero, Monaſterinſa teneri eas alere, dum inibi perſiſtunt; non tamen inde infertur, quod volentes exire, & aliud inire Conuentum eas inibi alere teneatur, ſeu dotare. Non enim ſub hac conditione dos à priori Monaſterio fuit accepta 164 *Aucthoris reſolutio.*

DVBIVM XXXIX.

*Religioſus abſolutè, ſeu in perpetuum è Religione expulſus ſibi non acquirens, bona poteſtne tamen adminiſtrare?*

SI iuſtè ſit expulſus (vt ſemper eſt præſumendum) pro limitato tempore, omnia ab eo acquiſita Religioni expellenti cedunt. Quia cum omnibus his, finito expulſionis tempore, debet ad eam reuerti. Suar. *to.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 19. At ſi abſolutè ſeu in perpetuum ſit expulſus, communi ex ſententia Monaſterio minimè acquirit, eo quod cum illo iam communicationem non habeat & illum à ſe expellendo omnia illius ſimul 165 *Nonnulla ſuppono.*

abiicere

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

abiicere videtur. Sanch. *l.7. Decal. c.33. n.26.* controuerſia vero eſt inter Doctores, cuinam ille acquirat, ſi Monaſterio non acquirit? An ſibi ipſi acquirat?

166 *Sibi non acquirit, nec adminiſtrationẽ.*

Non acquirit ſibi, ſed Deo, adminiſtrante Epiſcopo in cuius recidit obedientiam, quia ſibi ob incapacitatem, quam ex profeſsione habet, acquirere non poteſt. Sic Nauar. *comment. 2. de Regular. numer. 33.* Vel dicendum eſt, de iis bonis iudicandum eſſe ac de bonis vacantibus, quæ ad Principem, vel Rempublicam deueniunt, ac proinde Pontifici acquiri, & nomine ipſius Epiſcopo, vel Eccleſiæ, quæ, illo vita functo, bona diſtribuere poterit. Sic Sayr. *in claui, l.6. c.9. n.28.* Sanch. *l.7. Decal. c.33. n.28.* Azor. *to. 2. lib. 12. capite 16. quæſt. 9.*

167 *Sibi acquirit adminiſtrationem.*

Sibi quidem acquirit adminiſtrationem liberam, eſto ad dominium minime, quia hoc neceſſarium eſt expulſionis ſtatui. De illis tamen teſtari non poteſt, quia ei conceſſum nõ eſt, nec adeſt neceſſitas concedendi. Ita Leſ. *l.2. cap. 41. dub. 15. nu.* 113. Molina *to. 1. d.* 140. *circa finem.*

168 *Auctoris reſolutio.*

Scio aliquos aſſeruiſſe, huiuſmodi Religioſum nulli acquirere, quia nullius eſt. Sed abſque fundamento ſententiam eſſe iudico. Ad ſententiam illam Nauarri aſſerentis dominiũ bonorum acquiri Deo, adminiſtrationem vero Epiſcopo, reſpondeo, omnia bona temporalia in dominium humanum cadere debere, & non tantum in diuinum. Deinde Epiſcopo nullatenus horum bonorum adminiſtrationẽ competere poſſe, cum Religioſus expulſus in eius obedientiam non recidat arctius quam alij Clerici ſeculares. Præterea Religioſo illi conceſſa eſt adminiſtratio, & vſus bonorum durante expulſione, etiam cum perpetua non eſt, & ille Conuentui acquirit. Ergo Epiſcopo minime competit.

---

## DVBIVM XL.

*Religioſus expulſus habetne ita liberam adminiſtrationem bonorum, vt valeat ea expendere etiam in vanos, vel illicitos vſus: validaque ſit diſtributio, ſicuti à Clerico ſæculari facta?*

168 *Diſtribuere ea valide poteſt.*

DIſtribuere ea poteſt, validaque erit diſtributio, quia licet dominium bonorum non habeat, habet tamen illorum adminiſtrationem, ac ſi dominium haberet. Et quidem vſu receptum eſt, ſic inſumentes bona, & ſic recipientes adminiſtrationem, ad reſtitutionem non teneri. Sic Leſsi. *lib ſecund. capit. 41. dub. 15 n.* 113. Molina *tom. 2 tr. 2. d. 276. verſ. Quoad cæteros*

170 *Non poteſt ea val de diſtribuere.*

Non poteſt ea bona in vſus prauos expendere, ſed in vſus honeſtos, & eius ſtatui, conuenientes, & aliter diſtributa erunt obnoxia reſtitutioni, quia non eſt, credendum, Religionem, vel Eccleſiã, cui illa bona quoad dominium ac proprietatem competunt, eam expulſo illi adminiſtrationem concedere, vt in quoſcumque vſus etiam vanos, & turpes poſſit expendere, cum conceſſionis hic modus nec neceſſarius ſit, nec decens. Ita Suarius *tomo quarto de Relig. tract. 8. l.3. c. 6 num. 21.*

Et quidem vt *Dub.* 39. & præſenti vberius ſatisfaciam, aſſero probabilius eſſe, omnia à Religioſo abſolute electo vel ad tempus, acquiſita Religioni quoad proprietatem, & dominium cedere. Quia ex eo quod illum vt ſibi inutilem, & nociuum abiecerit: non infertur, bona ab eo acquiſita abiicere, cum hæc non ſibi nocumentum, ſed vtilitatem afferant. Item Religio non eum ita efficaciter abiicit, quin emendatum non poſſit, imò debeat admittere. Signum ergò eſt, Religionem non amiſiſſe expulſione ius in illum ac in bona quæſitum. Demùm iure ſtatutum eſt, omnia bona Religioſi cedere Religioni. Sed ab hoc iure eiectus non reperitur exemptus: Ergò eius bona Religioni cedunt. Mecum Molina *tom. 1. d.* 140. Leſſius *l. 2. c. 41. dub. 15. num.* 112. Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. cap. 6. numer. 22.* 171 *Quid dicẽdum, vberius expendo.*

---

## DVBIVM XLI.

*Grauis, vel leuis materia in voto paupertatis deſumiturne abſolutè ex proportione ad leuem, vel grauem furti materiam?*

DEſumitur grauis vel leuis violatio voti paupertatis ex materia furti, vt illa ſit in paupertate Religioſa grauis materia, graueque peccatum conſtituat, quæ ex ſe in furto grauis eſt, graueque peccatum conſtituit: illa vero ſit leuis materia, ac leue piaculum, quæ in furto leuis eſt, nec venialem culpam excedit. Dixi *Quæ ex ſe in furto grauis eſt.* Ex ſe inquam, ideſt excluſis circũſtantiis. Nam certum eſt, ſæpè eſſe graue furti peccatum, ſi ab homine paupere argentum vnum ſurripias, vel duos, ob damnum graue, quo inde afficitur: è contra verò eſſe leue peccatum, ſurripere à Rege vel homine ditiſſimo duos, vel tres aureos, ſi ſolummodo damnum, quod inde accepit, ſpectetur. Non igitur ex hac diuerſitate grauitas, vel leuitas violationis paupertatis voti eſt, deſumenda; ſed ex materia furti ſecundum ſe, quia eius grauitas vel leuitas deſumenda eſt ex eo quod res ſuſcepta grauiter conducat ad humanas actiones. Sic Azor. *tom. 1. l. 12. cap. 12. quæſt. 6.* Sanch. *l. 7. Decalog. cap. 20. num ſecund* Nauar. *lib. tertio conſil. titulo de Regularibus conſ. 75. numero* 18. 172 *Deſumitur abſolute iuxta furti materiam.*

Non deſumitur abſolute grauitas vel leuitas in materia paupertatis ex leuitate vel grauitate materiæ furti, quia ſæpe ſtante violatione iuſtitiæ (in furto ſcilicet) leui ſecundùm ſe, violatio paupertatis graui eſſe poteſt, quia maior quantitas ad grauem iuſtitiæ violationem videtur requiri, quam voti paupertatis violationem. Nam violationis iuſtitiæ grauitas deſumitur ex læſione proximo facta in 173 *Non abſolute deſumitur.*

bonis

bonis externis ad vſum vitæ neceſſariis quæ latiorem viam habet, quam paupertatis læſio, quæ deſumitur ex infidelitate, quam in Deum Religioſus præſtat, non exequendo promiſſa quæ infidelitas, vtpote diuini cultus omiſſio ad ſui grauitatem leuiori materia contenta eſt. Ergo grauitas vel leuitas materiæ in voto paupertatis non eſt abſolutè ſumenda ex proportione ad furti materiam ſecundum ſe. Ita Suar. *tom. 3. de Relig. l. 8. c. 6. num. 9.* Palao *to. 3. d. 3. de ſtatu Relig. punct. 20. n. 3.*

174 *Hoc teneo, & confirmo.* Hoc teneo, & confirmo ex voto erogandi in pauperes tres vel quatuor argenteos, cuius tranſgreſſio grauis eſſet cenſenda, & lethale peccatum ob diuini cultus notabilem imminutionem: tametſi in materia furti tres vel quatuor argẽtei leuis materia reputetur. Cum igitur in voto eleemoſynæ quatuor argentei cenſendi ſint materia grauis: eorum etiam diſpoſitio, inuito ſuperiore, in materia paupertatis grauis cenſenda erit. Lege Suarium.

## DVBIVM XLII.

*An delinquere poſſit Religioſus aduerſus iuſtitiam, quin peccet aduerſus votum paupertatis?*

175 *Nonnulla ſuppono.* QVoties Religioſus peccatũ perpetrat aduerſus paupertatis votũ ſępe ſimul furti & iniuſtitię peccatum cõmittit, non autem ſemper. Verum quoties res Monaſterij vel expendit vel à ſæcularibus ſibi abſolute donatas recipit, retinet, vel expendit, ſuperiore inconſulto, peccatum proprietatis & furti perpetrat: quia eſt inuitum Monaſterium in cuius dominium ſunt translatæ. At ſi ſæcularis ſic tibi donata concederet, vt nollet, in Monaſterium eorum dominium, ac adminiſtrationem tranſire: ſolùm peccatum ſacrilegij aduerſus paupertatis votum committeres, illis vtendo: non tamen furti, & iniuſtitiæ: cum dominus non ſit inuitus. E contra autem quæſierim, nùm Religioſus delinquere poſſit aduerſus iuſtitiam, quin peccet aduerſus paupertatis votum?

176 *Poteſt quidèm.* Poteſt equidem, quia id accidit, ſi à ſæcularibus furetur, non ſibi retinendum, ſed Monaſterio dãdum vel aliena contra domini voluntatem deſtruat, quia in his actionibus nihil ſibi vſurpat. Et idem eſt, ſi ex voluntate ſuperioris furtum commiſſum retineret: peccaret, inquam, contra iuſtitiam, ſed non contra paupertatis votum. Non enim proprio, ſed alieno nomine rem vſurpat, ſic Sanchez *lib. 7. Decalog. capite 20. n. 10.* Suar. *to. 3. de Relig. l. 8. c. 11. n. 15.*

177 *Minime poteſt.* Minime poteſt, quia rei temporalis vſus, & adminiſtratio ſine ſuperioris legitima licentia paupertatis violationem conſtituit. At furans rem alienam, vt Monaſterio tradat, cui tradere non poteſt, alienam rem vſurpat, illaque abſque legitima ſuperioris facultate vtitur: Ergò delinquit contra paupertatis votum. Ita Valentia *2. 2. d. 10. q. 4. pun. 3.* Leſſi. *l. 2. c. 41. dub. 9. n. 79.*

178 *Cum his probabilius opinor.* Cum his probabilius opinor. Non enim illum excuſat, quod illa accipiat, vt Monaſterio tradat. Ea enim traditio nulla eſt; ſicut non excuſaret, ſi ea acciperet, vt traderet ſæculari cuique. Neque eum liberat à paupertatis tranſgreſſione, quod ex ſuperioris voluntate furtum committat, quia ſuperioris ea voluntas vtpote iniqua, nullius eſt effectus. Nam ſuperior concedere non poteſt ſibi ſubditis recipere, quæ ipſe nequit adminiſtrare.

## DVBIVM XLIII.

*Violaturne paupertatis votum, ſi Religioſus res vſu non conſumptibiles palam habeat: ita tamen cum aliis rebus ex ſuperioris licentia poſſeſſis immixta, vt vix ſuperior diſtinguere poſſit, vel inuenire?*

179 *Plura recolo circa grauem, ac leuem materiam voti paupertatis graue, vel leue peccatum conſtituentem.* QVæ accipere Religioſus poteſt, vel ſunt bona conuentus, vel externorum. Si conuentus ſint, eaque in vſum proprium occultet, moraliter peccat contra iuſtitiam, & Religionem, ſi grauis materia exiſtat. Quia nomine proprio vtitur re pretio æſtimabili, inuito domino. Suar *tom. 3. de Relig. l. 8. c. 11. num. 59.* Ex comeſtibilibus, quæ communiter Religioſorum ſuſtentationi deſignantur, ſi ad ſuum vſum recipiat, multo grauior materia deſideratur, vt lethaliter peccet, quia ſuperiores in hac parte non ſunt æque inuiti, ſed inſtar patris cum filio ſe habent. Sanch. *l. 7. Decal. c. 21. num. 31.* Quanti vero comeſtibilia hæc ſint æſtimanda, vt occultè accepta materiam grauem, & peccatum lethale conſtituant, prudenti arbitrio eſſe definiẽdum aſſerit Suarius *vbi ſupra.* Porrò ſi paulatim ille modica accipiat, etiam cum animo firmo perſiſtendi in ea iniqua acceptione, peccatum lethale non committet, niſi fortè Religioni grauis damnificatio fiat, Religioſique alij debita ſuſtentatione priuentur. Sanch. *l. 7. Decal. c. 21. numer. 31.* At ſi ſimul hæc comeſtibilia accipat, vt occulte retineat, & paulatim abſumat: credit Palao *tom. 3. d. 3. de ſtatu Relig. pun. 21. num. 2.* eum lethaliter peccaturum, ſi valorem vnius aurei excederent, quia grauem deformitatem, huiuſmodi acceptio & retentio continet, meritoque ſuperior eſt inuitus; ſi autem comeſtibilia accipiat à conuentu, vt vendat, vel externis diſtribuat, minor quantitas ſufficit ad mortale piaculum conſtituendum, quia in eo vſu vtpotè Religioni magis nociuo ſuperior inuitus magis eſt. Leſſius *l. 2. cap. 12. dub. 8. numer. 48.* Verum ſi quæ ex conuentu accipit, non ſint vſu præſentaneo conſumptibilia, qualia ſunt libri, imagines, horologia, veſtes, &c. diſtinxerim, vel ea accipit, vt occultè retineat, & inſcio ſuperiore vtatur, ne poſſit ab eo auferre ſi libeat: manifeſtum eſt eum vſum eſſe mortaliter peccaminoſum, ſi per longum tempus vnius ſcilicet anni fiat. Suar. *tom. 3. de Relig.*

*l. 8.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*l.8.c.12.n.4.* Quid verò ſe non occultè retineat, ſed palam habeat, ita tamen cum aliis rebus ex ſuperioris facultate poſſeſſis immixta, vt vix ſuperior valeat diſtinguere, & inuenire.

180 *Non violatur grauiter paupertas.*

Non violatur grauiter paupertas, ſi non in perpetuum, ſed ad tempus ea ſi velit ille retinere, licet diuturno tempore horum, retentio continuetur. Quia eis vtitur velut in depoſito habitis, nec graui ideo Monaſterium incommodo afficitur. Sic Azor. *tom.1. l.12.c.12.q.3.*

181 *Grauiter violatur.*

Grauiter paupertas violatur, ſi longo tempore eorum retentio producatur. Quia eſt retentio abſque ſuperioris placito ita occulta, vt ſuperior moraliter loquendo his retentis vti non poſſit, nec de illis pro libito diſponere. Ita Suar. *tom.3. de Relig. l.8. c.12. numer.4. & 6.* Sanch. *l.7. Decal. cap. 19. num.57.*

182 *Huic ſententiæ adhæreo.*

Probabiliori huic hæreo ſententiæ. Nam licet à principio ex voluntate ſuperioris ea ille acceperit, ſi poſtea timens, ne ea afferat, vult ita celare, vt nequeat ſuperior pro libito auferre: proprietatis crimen incurret. Quia vult poſſidere rem irreuocabiliter, & independenter à ſuperioris voluntate. Addiderim, ſi accipiat ab externis grauem quantitatem, vt ſibi reſeruet, eaque vtatur, grauiter delinquit; ſi vero recipiat, vt ſuperiori tradat, rarò poterit eſſe lethale. Demum accipere à ſæcularibus pecuniam in cuſtodiam, vt opportuna occaſione ex licentia ſuperioris vtatur, crediderim grauem culpam non eſſe. Quia nec dominium, nec vſum, neque adminiſtrationem illius pecuniæ acceptat: ſed hæc omnia vult eſſe apud deponentem ſolo officio cuſtodis admiſſo. Laym. *l.4. tract.5. cap.7. q.1.*

## DVBIVM XLIV.

### *Vt Religioſus à tranſgreſſione voti paupertatis excuſetur, neceſſarione debet, licentiam à ſuperiore abſque iniuſtitia habere.*

183 *Status quæſtionis.*

Certum eſt licentiam debere eſſe voluntariam, non vi extortam. Ad actus turpes conceſsam, eſse nullam, idemque ad vanos, ac ſuperfluos. Quæſierim autem, an vt quis à tranſgreſſione voti paupertatis liberetur, debeat neceſsario licentiam à ſuperiore abſque iniuſtitia collatam habere.

184 *Debet neceſſario licentia eſse iuſta.*

Debet neceſsariò licentia eſse iuſta, id eſt, abſque iniuſtitia conceſſa; ſi enim ex Prælati voluntate ſurripiat aliena, & de ipſis diſponat: non ſolùm iniuſtus, ſed & ſacrilegus aduerſus paupertatis votum erit. Quia Prælatus poteſtatem non habet de alienis rebus, ſuis dominis inuitis, diſponendi: Ergò nec poteſtatem habet, vt Religioſo illi huiuſmodi diſpoſitionem concedat. Ergo cum de facto concedit, ea conceſſio eſt nulla, neque in ea concedenda vt ſuperiorem, ac prælatum à Deo conſtitutum ſe gerit. Debet igitur licentia eſſe iuſta, vt vitium violationis paupertatis excuſet. ſic Nauar. *comment. 2. de Regularib. n.21.* Nauarra *l.3. de reſtit. c.1. p.3. dub.1. n.168.* & alij relati à ſancio, *l.7. Decal. c.19. n.21.*

185 *Non debet neceſſario iuſta eſſe licentia.*

Non debet neceſſariò iuſta eſse licentia. Quia Religioſus non obligatur ex voto paupertatis vitare iniuſtitiam, ſed ſolummodo paupertatem, quæ in eo conſiſtit, nè rebus temporalibus proprio nomine vtatur. At cum aliena ex ſuperioris conſenſu ſurripit, & de illis diſponit: non proprio, ſed alieno nomine illis vtitur: Ergò vitat proprietatem. Igitur non eſt neceſſaria licentia iuſta pro vitanda paupertatis tranſgreſſione. Ita Suar. *tom.3. de Relig. l.8. c.11. n.15.* & alij plures à Sancio citati *vbi ſ. n.20.*

186 *Idem affirmo.*

Sapientiſſimo Doctori Suario lubens ſubſcribo. Nam ſi pro ſuffragio ferendo, vel opere ſeruili in die feſto aliquid ex licentia ſuperioris accipias, & expendas: valida eſt acceptio, ac diſtributio. Ergo ſignum eſt, validam eſſe licentiam tametſi inique impendatur. Ergo ad vitandam paupertatis voti violationem, quæcumque licentia, ſiue iuſta ſit, ſiue iniuſta ſufficiet.

## DVBIVM XLV.

### *Vt Religioſus votum paupertatis non tranſgrediatur, ſufficitne præſumpta ſuperioris licentia?*

187 *Nonnulla ſuppono.*

Licentiam ſuperioris debere eſſe expreſſam, vel tacitam ſaltem affirmant omnes. Illam voco tacitam licentiam, quæ virtute in alia expreſſa continetur, vt ſi ſuperior tibi impertiat licentiam peregrinationem inſtituendi, nec prohibeat, aliquid recipere, & recepta expendere: eo ipſo cenſetur conceſſiſſe. Suarez *tomo tertio dè Religioſ. libro octauo capite 11. numero ſeptim.* Item ſi conſuetudine ſit receptum, te poſſe aliqua recipere, retinere, vel expendere, & ſuperior conſuetudinem non reuocet, cum poſſit: ea omnia cenſetur approbare. Sanchez *libro ſeptimo Decalog. capit. 19. numero ſeptimo.* Quæſtio ſolum eſt de licentia præſumpta, quando ſcilicet Religioſus præſumit, ſuperiorem daturum fore licentiam, ſi ab eo peteret, & ille præ verecundia, aliove humano reſpectu petere omittit, an eo caſu à proprietatis vitio excuſetur ex licentia præſumpta?

188 *Non ſufficit licentia præſumpta.*

Non ſufficit huiuſmodi licentia, vt Religioſus votum paupertatis non tranſgrediatur. Quia cum de facto non ſit ſuperioris licentia, non poteſt efficere, vt nomine illius diſpoſitio præſtetur. Sic nonnulli, quos conſului Doctores.

189 *Sufficit ſane.*

Sufficit profecto, ad vitium proprietatis vitandum. Quia ad hunc effectum

ſatis eſt, quod voluntati ſuperioris ſaltem futuræ nixus ille operetur, ſic enim ad vitandum furtum, ea præſumptio de voluntate Domini ſufficit, vt conſtat ex *leg. Inter omnes ff. de furtis, §. Recte*. à fortiori ſufficit ad vitandam proprietatem. Ita Nauar. *comment. 2. de Regular. n.* 20. Nauarr. *l. 3. de reſtit. c. 1. p. 3. dub. 1. n.* 160. Azor. *p. 1. c. 12. l. 12. q. 2. 3. & 4.* Sanch. *l. 7. Dec. c. 19. n. 4.* Suar. *to. 3. de Relig. l. 8. c. 11. n. 4.*

190 *Cum his opinor.* Certè non credam vouentes paupertatem ſtrictius ſe obligare voluiſſe, igitur ex præſumpta ſuperioris voluntate Religioſus à proprietatis piaculo excuſatur.

## DVBIVM XLVI.

*Sufficitne probabilis cognitio voluntatis ſuperioris futuræ circa licentiam impertiendam, vt præſumptio illius liberet Religioſum à piaculo proprietatis?*

191 *Non ſufficit probabilis cognitio.* NOn ſufficit cognitio probabilis, ſed certa requiritur. Quia alias aderit periculum operandi abſque vlla licentia, & abſque ſuperioris voluntate. Sic Mol. *to. 2. d. 276. circa finem* Petrus de Ledeſ. *to. 1. ſum. tr. 8. c. 21. diffic. 7.*

192 *Probabilis cognitio ſufficit.* Probabilis cognitio ſufficit. Quia ſic operans, moraliter certus eſt de ſuperioris voluntate, neque periculo morali operandi ſine licentia exponitur, eſto phyſico exponatur. Ita Nau. *comment. 2. de Regul. n. 20. & ſum. c. 17. n. 5.* Leſ. *l. 2. c. 2. dub. 8. n. 49.* Mendoza *quodlib. q. 8. concl. 8.* Sanch. *l. 7. Dec. c. 19. n. 13.* Suar. *to. 3. de Relig. l. 8. c. 11. n. 11.*

193 *Idem defendo* Idem teneo. Sed moneo, in hac receptione, & bonorum diſpoſitione ferè ſemper peccatum veniale committi, eo quod ſuperior cùm commodè audiri poteſt, ægre ferat hanc clandeſtinam, ac furtiuam receptionem, ac diſpoſitionem, vtpotè Religioſæ obſeruantiæ, & paupertatis puritati ſatis aduerſam. Attamen quia hæc contradictio, ſolùm eſt de modo clandeſtino, ac furtiuo, non de ipſa receptione, & diſpoſitione culpam venialem non excedit. Mecum Suarius, Sancius, & Nauarrus *citati.*

# CAPVT VIII.

## *Circa Regularem Obedientiam.*

## DVBIVM XLVII.

*Epiſcopus habetne poteſtatem compellendi Religioſos non exemptos ex vi voti obedientiæ ab eis emiſſi, ad obſeruantiam regularem?*

194 *Plura de* CErtum eſt, pontificem ſummum poteſtatem habere obligãdi quoſlibet Religioſos ad Regularem obſeruantiã, non ſolum ex iuriſdictione ſibi à Chriſto conceſſa, ſed etiã ex obedientiæ voto, quod ipſi cenſendum eſt emitti, tanquam ſupremo omnium Religionũ Generali. Quia cum ipſe omnium Prelatorum caput ſit, ab eoque eorum iuriſdictio dependeat: conueniens erat, vt obligatio illis ex voto acquiſita, efficacius ei acquireretur Sanch. *l. 6. Dec. c. 1. n. 8.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 8. n. 3.* Si verò de Epiſcopo loquamur, duo certa præmitto. Primum, Monialibus ſibi ſubiectis poſſe in virtute obedientiæ præcipere. Quia illarũ ſuperior eſt, inſtar aliorum Prælatorũ Regulariũ. Secundum in Religioſos exẽptos (quales ſunt ferè alij omnes Religioſi) non habere ex vi voti poteſtatem præcipiendi. Quia abſolutè non eſt eorum ſuperior quoad Regularem obſeruantiam: tametſi in aliquibus actionibus ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentibus eos ſubiectos habeat: videlicet in librorum impreſſione, in audiendarum confeſſionum, & officij prædicandi licentia, in obſeruatione feſtorum, & cenſurarum, in aſſiſtentia ad publicas proceſſiones, in componendis de præcedentia locorum controuerſiis, in Religioſi publicè delinquentis punitione, in puellæ profeſſuræ exploratione voluntatis. Quos tamen Religioſos ſi priuilegium habeant à Sede Apoſtolica, ne poſſint excommunicari, ſuſpendi, & interdici (quale habent omnes Mendicantes ex eorum *compend. v. exemptio, n. 9. 23. & 24.* & ſocietas Ieſu ex Bulla Pauli III. edita anno 1549. & omnes alij Religioſi, qui in Mendicantium priuilegiis communicant) nequit Epiſcopus ad hæc obſeruanda cenſuris Eccleſiaſticis cogere, niſi in caſibus à Trident. expreſſis: videlicet, cum abſque licentia celebrant in oratorio priuato, & horis non debitis, ſuperſtitioneſve in celebratione admittunt, *ſeſſion.* 22. vel quando clauſuram Monialium tentant impedire, *ſeſſion. 25. capite* 5. vel cum nolunt bona nouitiis reſipiſcentibus reſtituere eadem *ſeſſion. cap.* 16. In aliis autem caſibus depoſitione, detruſione in arctius Monaſterium, aliiſve pœnis arbitrariis procedere debet. Sanchez *l. 7. de matrim. d. 33. n. 23.* Barb. *p. 3. de poteſt. Epiſc. allegat. 78. n. 25.* Quæſtio vero eſt de Epiſcopo comparatione Religioſorum non exemptorum (ſi qui vltra Moniales ſint) an habeat poteſtatem ex vi voti obedientiæ ab illis emiſſi, eos ad obſeruantiam Regularem compellendi? *Pontificis, Epiſcopique poteſtate in Religioſos.*

Poteſtatem non habet. Quià ex iuribus conſtat, ſolum debere admitti compulſionem in iis, quæ pertinent ad Eccleſiaſticam diſciplinam, in qua Epiſcopus Prælato Regulari eſt præferendus, ſic Sanchez *libro ſexto Decalog. capit. prim. numero* 13. aliis relatis. Layman. *libro quart. tractat. quint. capit. octauo numero ſecund.* & videtur eſſe Diu. Thomæ *in 2. diſt. 44. expoſit. littera ad 3.* 195 *Non poteſt eos compellere.*

Habet quidem poteſtatem, vt cogat huiuſmodi Religioſos ad Regularem obſeruantiam non ſolum ex poteſtate iuriſdictionis, ſed etiam ex poteſtate dominatiua orta ex voto obedientiæ, & traditione Religioſorum ſibi facta. Quia ſi hi Religioſi non eſſent obligati Epiſcopo obedire 196 *Compellere poteſt.*

dire, ſed ſuo Regulari Prælato in pertinentibus ad Regularem obſeruantiam, abſolutè exempti eſſet ab Epiſcopi iuriſdictione, quod eſt contrà ſuppoſitum. Ita Petr. Ledeſma *t. 2. ſum. tr. 10. c. 7. notab. 2.* Inclinat Suar. *to. 3. de Relig. l. 10. c. 11. n. 15.* Tenet Palao *to. 3. d. 4. de ſtatu Relig. pun. 2. n. 6.*

197 *Hanc eligo ſententiam.*

Sciens, primam ſententiã eſſe communem, adhuc reor ſecundam eſſe probabiliorem. Nam Prælatus Regularis huiuſmodi Religioſorum aut habet in eos iuriſdictionem immediatè à Papa, aut medio Epiſcopo. Si immediatè à ſummo præſule, erit Religio exempta, de qua non eſt ſermo. Si medio Epiſcopo; ergo Epiſcopo vtpotè principali Prælato, & à quo Regularis Prælati iuriſdictio dependet, obedientia promittitur. Habet igitur poteſtatem, eos ad Regularem obſeruantiam compellendi.

---

## DVBIVM XLVIII.

### *Eſtne in peccato lethali Religioſus ex conſuetudine violans regulas ſub mortali non obligantes?*

198 *Nonnulla circa regulas certa præmitto.*

IN Religionibus præſcribuntur regulæ obligantes ſub mortali, vel ſub veniali, vel ad nullam culpam; quæ diuerſitas ex verbis conſtitutionis, & ex cuiuſuis Ordinis conſuetudine eſt deſumenda. Si regula obliget ſub mortali, illius tranſgreſſio mortalis erit contra obedientiæ votum, ſi ſub veniali ſolum, tranſgreſſio illius contra votum venialis exiſtet. Poteſt autem ex duplici capite ad veniale obligare. Primò ex leuitate materiæ. Secundò ex voluntate legiſlatoris. At ſi per ſe regula ad nullam culpam obliget, vt ſunt regulæ Sanctiſſimi Ordinis Prædicatorum, Minorum, & Societatis Ieſu: illius tranſgreſſio ob votum obedientiæ nullam culpam inducit, quia illud votum non eſt de ſeruanda illa regula, ſed de ſeruandis Religionis præceptis ſiue à iure, ſiue ab homine latis. At regulæ nullam in conſcientia obligationem ad ſui executionem inducentes præcepta non ſunt. Ergo de illis non eſt obedientiæ votum. Suar. *tom. 3. de Relig. c. 7. n. 13.* Sanch. *l. 6. Decal. c. 4. n. 11. & 12. iunct. c. 1. n. 2.* Verum licet violans regulas nullam coram Deo culpam haberes, non inde excuſaris ſubire pœnam tranſgreſſoribus præſcriptam, quia hæc pœna, quæ propriè pœna non eſt, ſed quædam pœnalitas, non ob culpam moralem, ſed Regularem imponi poteſt. Suar. *tom. 3. de Relig. l. 20. c. 7. n. 16. & to. 4. tr. 8. l. 1. c. 2. num. 6.* Crediderim verò regulariter culpam venialem in trangreſſione cuiuſuis regulæ committi. Tùm quia non recto fine tranſgreſſor ducitur, ſed ex otioſitate, torpore, ac libidine. Tùm quia occaſionem exhibet Religioſã diſciplinã labefactãdi. Laym *l. 4. tr. 5. c. 8. n. 7.* Vaſq. *1. 2. t. 2. d. 258. c. 3. n. 16.* Sanch. *l. 6. Decal. c. 4. n. 14.* Quæſierim autem circa Religioſum, qui conſuetudinem habet tranſgrediendi regulas ſub



nulla culpa obligãtes, vel obligantes ad venialẽ tantùm, an in peccati mortalis exiſtat ſtatu?

199 *In mortali exiſtit.*

In mortali exiſtit, quia aſſuetus tranſgredi regulas, caret propoſito firmo eas ſeruandi: Ergo à perfectionis via deficit, quam aſſumptione Religioſi ſtatus profeſſus eſt. Ergo in lethalis culpæ ſtatu perſiſtit. Et quidem hac praua conſuetudine affectus, non ſe vult ſubiicere regulæ. Ergo illam contemnit: At contemptus regulæ eſt mortale. Ergo ſic D. Th. *2. 2. q. 186. a. 9.* Caietan. *ibi.*

200 *Non exiſtit in mortali.*

Non exiſtit in mortali per ſe loquendo, qui intentionem ſeruandi eiuſmodi regulas non habet. Quia conſuetudo eam ſolam culpam inducit, quam inducunt actus, ex quibus coaleſcit; nam ab ipſis non diſtinguitur. At actus, ex quibus conſuetudo hæc coaleſcit, nullam culpam habet, vel tantum venialem; nam omnes illæ regulæ vel ad nullam obligant culpam, vel ad venialem ſolùm: Ergo neque conſuetudo mortalem inducit trãſgreſſionem. Ita Suar. *to. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 4. à num. 10.* latè id confirmans Palao *to. 3. d. 4. de ſtatu Relig. pun. 3. n. 6.*

201 *Cum his longe verius ſentio & vberius expono ſententiam.*

Cum his longè probabilius opinor, quia non eſt propoſitum tranſgreſſionis alicuius obligationis ſub mortali, (eſto quod quis propoſitum haberet illas nunquam obſeruandi) cum omnes hæ regulæ obligationem venialis piaculi non excedant. Neque in hoc propoſito eſt periculum morale, ac proximũ tranſgrediendi aliquam regulam ſub mortali obligantem, ſi quidem compati poteſt cum illius firma obſeruatione. Neque infertur, illum hac praua conſuetudine regulas propriè contemnere: alias quoties quis vellet aliquã regulam violare, cenſendus eſſet illius contemptor eſſe, & peccati mortalis reus, quod falſum proculdubio eſt. Requiritur etenim ad contemptum vt regulam violet tanquam inutilem, friuolam, & nullius conſiderationis: vel eam violet animo determinato ob illius tranſgreſſionẽ pœnæ ſe minime ſubiiciendi, ſed reſiſtendi Prælato, ſecluſa verò hac intentione, nec propoſitum violandi regulas; nec illarum violatio eſt formalis contemptus. Nec denique ex hoc propoſito prauaque conſuetudine fit, Religioſum à via perfectionis incepta deſiſtere in neceſſariis, qualia ſunt obſeruatio votorum, ac præceptorum Religionis: licet in accidentalibus, & leuem obligationem inducentibus deflectat. Dixere autem Suarius & Palao notanter *Per ſe* peccatum lethale non committere. Nam per accidens credunt ſæpe peccati lethalis reos eſſe Religioſos huiuſmodi, niſi efficaciter proponant, ac procurent, ab ea praua conſuetudine recedere. Contingit autem hoc peccatum, cum Religioſus aduertit, ex ſuo irregulari modo operandi graue detrimentum & ſibi, & Religioni accidere.

## DVBIVM XLIX.

*Prælatus Regularis poteſtne ſubditis præſcribere expeditionem ad Indos, vel hæreticos, alioſvè infideles, eorum conuerſioni daturis operam?*

202 *Plura recolo circa obedièntiæ obligationem.*

MIhi certum, nequaquam poſſe Prælatum Religioſis ſibi ſubditis præcipere, quæ ſunt abſolutè extra regulam. Quia nequit obligare ſuo præcepto ſubditos niſi ſecundum quod ipſi Religioſi ſe illi obediēdo tradidere, eſt enim hæc ſubiectio voluntaria. At Religioſi voto obedientię ſolum ſe tradiderunt obediendo in iis, quæ ſecundum regulam fuerint. Ergo hæc ſolum Prælatus præcipere poterit. Aliàs ſi quælibet honeſta præcipere quiret, poteſtatem haberet obligandi Religioſum, ad mutandum ſtatum, quod falſum eſt. Igitur ſolùm præcipere poteſt quæ in regula obligante expreſſe, vel tacitè continentur. Quia hæc omnia obedientiæ votum comprehendit. Aliquos tamen caſus expendam, ex quibus alij colligi poterunt, an ſub regula comprehendantur, & requiro in primis, an ſub regula comprehendatur miſſio ad Indos, alioſvè infideles, ita vt poſſit Prælatus ſibi ſubditis hanc expeditionem imperare.

203 *Præcipere poſſunt expeditionē ad infideles.*

Omnium Ordinum Prælati id præcipere poſſunt, omnium inquam, quorum inſtitutum eſt, non ſolum propriæ, ſed etiam ſaluti proximorum incumbere. Quia ad hunc finem conſequendum valde eſt eiuſmodi expeditio neceſſaria. Sic aliqui Doctores, quos preſſo nomine memorat. P. Caſtro Palao *to. 3. d. 4. de ſtatu Relig. pun. 4. n. 6.* Sotus ita ſupponere videtur *l. 7. de iuſt. q. 2. a. 4.*

204 *Id non poſſunt præcipere.*

Id non poſſunt præcipere. Quia ex ſolo illo fine generali procurandi proximorum ſalutem non ſatis probatur, ſub regula illarum Religionum contineri miſſionem ad Indos, reliquoſque infideles, & hæreticos: quippe hæc miſſio, horumque conuerſio, & ſi Eccleſiæ valde ſit neceſsaria, difficillima eſt, multiſque periculis tum animæ, tum corporis obnoxia: ad quæ ſubeunda nemo præſumendus eſt obligatus ex generali promiſſione procurandi proximorum ſalutem, ſed neceſsario requiritur ſpecialis, ac expreſsa obligatio. Ita Suar. *to. 4. de Relig. tr. 10. l. 6. c. 4. n. 22.* Leſ. *l. 2. c. 41. dub. 9. n. 77.* Sanch. *l. 6. Decal. c. 2. n. 47.* Man. *to. 3. qq. Regul. q. 19. a. 7.* Lud. Lopez *p. 1. inſtru. c. 56. verſ. Et an Prælati.*

205 *Cum his opinor*

Cum his opinor, dummodo in infidelium huiuſmodi terris aliquis conuentus Ordinis non ſit ædificatus. Nam ſi inibi conuentus adeſſet, poſset Prælatus Religioſos illuc immittere, & ad ibi inhabitandum compellere. Quia non compelleret ad habitationem ſuæ profeſſioni alienam; ſed maximè propriam, ac debitam, vt poſſit conſeruari. Nauar. *comment. 3 de Regular. n. 22.* Monuerim autem Religioſos Societatis Ieſu non ſolum qui profeſſi ſunt quatuor votorum, ſed omnes alios, tametſi ſolis biennij votis adſtrictos immitti poſse ad Indos, ac Sarracenos conuertendos, etiamſi nulla domus, vel collegium Societatis inibi ſit ædificatum. Quia finis Societatis nobis cunctis propoſitus eſt, omnes Orbis peragrare plagas, vbi maius Dei obſequium, & proximorum ſalus ſperatur.

## DVBIVM L.

*Religioſus ex vi Profeſſionis factæ ante regulæ reformationem teneturne eam reformatam obſeruare?*

TEnetur quidem, Quia illa non eſt noua auſteritas, ſed antiquæ debita reſtitutio: 206 *Tenetur quidem.*

Et quidem Religionis Prælato cum Capitulo generali conceſsum eſt, poſse Religionem collapſam erigere, & conſtitutionibus denuo editis reparare, ne penitus depereat: ſed hoc efficaciter præſtare nequit, niſi ſimul valeat ſibi ſubditos ad eā obſeruantiam monitis, & præſcriptis adducere: Ergo reformatione facta omnes Prælato circa eius obſeruationē obedire tenētur. Sic Sylu. *v. Relig. 6. q. 6.* Az. *to. 1. l. 23. c. 11. q. 17. & 19.* Vaſq. *1. 2. d. 154. c. 4. n. 15.* Sanch. *l. 6. Dec. c. 1. n. 35.* plures citans Suar. *to. 3. de Relig. l. 10. c. 8. n. 19.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 9. q. 4.*

207 *Non tenetur.*

Non tenetur. Quia ex voto obedientiæ ſolum quis obligari poteſt ad regulam obſeruandam quatenus viget cum profeſſio emittitur, non quatenus olim vigebat. Ita Caſtro Palao *to. 3. d. 4. de ſtatu Relig. pun. 4. n. 11.*

208 *Auctoris reſolutio.*

Ego autem cum eodem Doctore crediderim, primam ſententiam ſolummodo eſse veram caſu, quo reformatio iudicaretur maximè expediens, ſeu moraliter neceſsaria, ad conſeruationem Religionis aſsumptæ in ſtatu relaxationis, vel mitigationis per legitimam conſuetudinem introductæ. Quia obligari tātum ille poteſt ad obſeruanda: quę neceſsaria ſunt ad illius ſecundum ſtatum conſeruandū, vtpotè tacite, & in virtute ſāctæ obedientiæ ſub regula cōprehenſa: non tamen ad ſtatuta quæ neceſsaria non ſunt moraliter ad regulæ mitigatæ conſeruationem, quia ſub illo voto nec expreſsè, nec tacitè continentur. Alias poſset ad nouam Religionem obligari. Quod ſi rogites, quando iudicabitur reformatio moraliter neceſsasia ad Religionis aſsumptæ conſeruationem? ex Laymani calamo *l. 4. tr. 5. c. 9. q. 4. concl. 2.* reſpondeo Tūc reformatio regulæ neceſsaria videri debet ad Regularis Ordinis conſeruationem, ſi cum præſenti obſeruatione pauciſſimi ad perfectionem Religioſam peruenire ſtudeant: ſi cum ſcandalo, & querela ſæcularium viuant, vt expediret magis Religionem diſsolui, quam ita continuari: ſi neque eſsentialia vota, v. gr. quæ ad paupertatem Religioſam ſpectant, communiter obſeruentur. Sic Laymanus.

## DVBIVM LI.

*Abbatiſſa, vel Prioriſſa poteſtne, in virtute ſanctæ Obedientiæ ſuis Monialibus præcipere.*

209 *Non poteſt.* NOn poteſt. Quia Abbatiſſa (iure Eccleſiaſtico ſaltem) incapax eſt ſpiritualis iuriſdictionis: At ad imperandum ex virtute obedientiæ iurisdictio ſpiritualis videtur requiri: nam ille modus imperandi finem ſpiritualem ſpectat. Sic Sanch. *l.6. ſum. c.1. n.22.* Victoria *de poteſt. Eccleſ. q.2. num.4.*

210 *Poteſt quidem.* Poteſt quidem. Quia cum à Religione ſit conſtituta Monaſterij gubernatrix, & hanc gubernationem nequeat conuenienter præſtare abſque iurisdictione: ideo ad imperanda, quæ expedire iudicauerit ad ſui Monaſterij temporalem, ſeu politicam gubernationem, iurisdictio eſt illi conceſſa. Vnde poteſt Monialibus prohibere, ne cum externis loquantur, ne litteras ſcribant, vel accipiant, & alia ſimilia, quæ rectæ gubernationi domeſticæ, & bono conuentus nomini congruunt. Ità Sotus *in 4. diſt.20.q.1.ar.4.* Barthol. de Ledeſm. *ſum. vbi de clauſura, diffic.4. dub. vlt.* Sanch. *l.6. Decal. c.1. num.17.* alios referens.

211 *Cum his opinor.* Non ſolum hanc longe probabiliorem ſententiam eſſe affirmo, ſed adiicio, Abbatiſſam ex vi voti obedientiæ non modo præcipere poſſe ea, quæ innui, quatenus rectæ domus gubernationi congruunt; ſed quatenus accinunt ſpirituali cuiuſcumque profectui: atque adeò præcipere poſſe omnia illa, quæ iuxtà regulas, & conſtitutiones Monialis obſeruare tenetur. Quia negari non poteſt, quem poſse voto ſimplici obligari fœminæ, vel laico obedire in iis, quæ ipſi iudicauerint, ad eius ſpiritualem profectum conuenire, tametſi ex hoc voto nullam ſpiritualem iuriſdictionem obtineant. Ergò credendum eſt ex intentione votum emiſſum eſſe, cum id ſit Religioni conuenientius.

## DVBIVM LII.

*Religioſi ob delicta ad perpetuum carcerem vel ad triremes damnati poſſuntne aufugere.*

212 *Certa recolo circa Religioſi ad pœnas propter delicta ſubiectionē.* CErtum eſt, Religioſum delinquentem punitioni Prælati eſse ſubiectum. Quia eſt communitatis Regularis Pater, qui ratione dominij profeſſione acquiſiti, & ratione iuriſdictionis à Pontifice conceſsæ poteſtatem habet ſubditos puniendi. Vnde quilibet Regularis Prælatus, etiam localis (niſi ex conſuetudine, aut conſtitutione Religionis limitatum ſit) poteſt Religioſum delinquentem excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti perſonalis cenſuris innodare. Quia huiuſmodi poteſtatis conceſſio correctioni delinquentis, illiuſque punitioni neceſſaria erat. Suar. *tom.4. de Relig. tract.8. l.2. c.9. n.4.* Porro Abbatiſſa his ſpiritualibus pœnis coërcere, punireque nequit Monialem delinquentem. Quia iuriſdictione Eccleſiaſtica caret, ſolumque ei à Pontifice conceditur poteſtas dominatiua gubernationi domus neceſsaria. Quoad pœnas vero corporales attinet, nulli Regulari Prælato conceſsum eſt ſubditum delinquentem mortis pœna punire. Quia id interdicitur, *cap. Cum non ab homine, de iudiciis.* Idem dicendum de mutilatione, ac de verberatione publica. Quia huiuſmodi punitio aliena eſt à Religioſa pietate, & eiuſdem rationis cum pœna mortis. Suar. *c.10. n.1. & 2.* Habet autem poteſtatem pœna triremium delinquentem afficere ſubditum, ſi delictum ei pœnæ ſit obnoxium, ſcandaloſum inquam, & nimium graue. Sanch. *l.6. Decal. c.8. n.16.* Pœnas demum incarcerationis temporalis, aut perpetuæ, ieiuniorum & alias ſimiles poteſt infligere, & ſubditus eas exequi obligatur. Quæſierim autem; an obligati ſint pœnam triremis, aut perpetui carceris exequi pœnam, an fugere poſſint.

Non ſunt obligati, ſed poſsunt aufugere. 213 *Non ſunt obligati, eā pœnam ſubire, ſed poſſunt fugere.* Quia ſæcularis his pœnis damnatus licitè poteſt fugere: extrà humanam enim poteſtatem eſse videtur reum obligare, vt in ſeipſum exequatur pœnam adeo acerbam, & duram: ſed votum obedientiæ cenſendum non eſt aliter obligare, quam præceptum: obligatio enim voti inſtar præcepti eſt: Ergo cum præceptum humanum ad exequendam illam pœnam non extendatur, neque etiam votum debet extendi. Sic Bañes *2. 2. q. 69. art. 4 poſt 5. concl.* Indicat Suarius *tom.4. de Relig. tr.10. l.11. c.3. n.4.*

Obligati ſunt exequi eas pœnas, nec aufugere poſſunt. 213 *Obligati ſunt, nec fugere poſſunt.* Quia obligari poteſt Religioſus ex voto obedientiæ non ſolùm ad ſuſtinendam iuſtam pœnam carceris, & triremis, ſed etiam ad eam non fugiendum, cum condemnatus fuerit: at ſic eſt præſumendum quemlibet obligari velle, cum votum obedientiæ emittit: ergo fugere non poteſt. Ita Sanch. *l.6. Decal. c.8. n.12. & 16.* Manu. *tom.2. qq. Regul. q.22. art.6.* Sayr. *in claui l.12. c.18. n.9.* Suar. *vbi ſ. n.10.* Salcedō *pract. c.157.* Palao *tom.3. d.4. de ſtatu Relig. pun.14. n.10.* Caiet. *2.2. q.69. art.4.* Nauar. *comment.4. de Regular. n.63.*

Ego quidem cum Sapientiſſimo meo Ferdinando de Caſtro Palao admodum eram propenſus ad primam ſententiam ſuſtinendam: 214 *Reſolutio Auctoris.* ſed tamen cum eodem cogor ſecundam probabiliorem quidem defendere communiter à Doctoribus receptam. Quia licet ex præcepto, & lege abſolute quis non poſſit obligari ad carcerem aſperum non fugiendum: at ex obedientiæ voto poteſt obligari; quia ita vouit. Certum tamen mihi, eum fugere poſse, ſi carcer ita ſit durus, vt vitæ periculum meritò timeat, vti Nauarrus, Sayrus, Salcedo, & Sancius annotarunt.

## DVBIVM LIII.

*Caſu quo fas ſit Religioſo ex ſententia inferioris Prælati ad ſuperiorem appellationem interponere: poteſtne (ſi occaſio non ſuppetit appellandi) ad ſuperiorem licentia ab inferiori non petita, iter arripere?*

215 *Non poteſt.* NOn poteſt, quia Trident. *ſeſ.* 4. Religioſis prohibet, à ſuis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad ſuperiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint. Ergò prohibet Concilium ſupradictum receſſum. Sic Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 15.

216 *Poteſt quidem.* Poteſt quidem. Quia ſi in eo caſu permiſſa eſt verbalis appellatio, etiam permitti debet appellatio realis, quæ facto ipſo fit iuxta textum in *Cap. Delicti.* 2. *de appellat.* Neque Concilium credendum eſt hunc receſſum interdixiſſe; nam interdiceret debitam naturæ defenſionem; neque item præſumi poteſt Religioſum voluiſſe ſe adſtringere ad petendam licentiam à ſuperiore grauante, quando moraliter eſt certus, petitam non fore conceſſurum: ſed potius timet, ob id amplius ſe eſſe grauandum. Ita Nauar. *comment.* 2. *de Regular. n.* 61. Sanchez *l.* 6. *Decalog. cap.* 8. *num.* 17. Barboſa *remiſ. Concilij ſeſ.* 25. *c.* 4. Manu. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 30. *a.* 3. *& in ſum. cap.* 45. *num.* 40. Azor. *tom.* 1. *l.* 12. *c.* 11. *quæſt.* 7. Sà *v. Religio, n.* 71.

Verius longè cenſeo, te poſſe in ſupradicto caſu ad ſuperiorem arripere viam, ſi occaſio non ſuppetit interponendi appellationem, nec ſuperiorem grauantem licentiam conceſſurum præſumis. Neque obſtat, receſſum à Monaſterio prætextu accedēdi ad ſuperiorem qualibet ex cauſa vrgēti ſemper fuiſſe prohibitum, & Cōcilium aliquid nouum prohibere voluiſſe: in hoc namq; caſu nil nouum prohibere, ſi huiuſmodi, progreſſum non prohibeat. Non inquam obſtat, quia ſufficit, ſi prohibitionem antiquam, & non ſatis cognitam reuocet, ſi autem quis rogitet, quandonam licitum erit Religioſo recuſare ſuperiorem ſuſpectum, & recuſatio ſit admittenda? Reſpondeo, ei licere, quoties certitudine morali timet, ſuperiorem grauiter & iniuſte illum diuexaturum, quia ſtante graui & iniuſta vexatione, ei licet appellatio. Ergo & recuſatio licet ad vitandam eam grauem, & iniuſtam vexationem. Nam eo caſu, quo permittitur appellatio, antecedens recuſatio permittitur, vt colligitur manifeſtè ex textu in *Cap. Super eo el* 2. *de appellationibus per argumentum à contrario.* Sanchez *l.* 6. *Decalog. cap.* 8. *num.* 111. 217 *Hoc mihi longè verius.*

LIBER